TEMPORVM ET MODORVM SYNTAXIS TERENTIANA

PARS PRIOR: DE TEMPORVM VSV

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos scripsit

Maximilianus Schlossarek

Hultschiniensis.

Die VII. mensis Octobris anni MCMVIII hora XI

disseret doctorandus in Aud. IV

,De Terentii genere dicendi'.

Deinde promotio erit.

Vratislaviae

Typis Schenkalowsky Nachf.

MCMVIII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

F. Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XXIX. mensis Iulii.

PARENTIBVS

SACRVM.

Prooemium.

De temporum et modorum usu Terentiano nulla adhuc exstat continua quaestio; quam lacunam explere mihi est propositum. Sed priusquam ad rem ipsam veniam, e viris doctis, qui de Terentii genere dicendi scripserunt, eos nominabo, quorum commentationes ad temporum et modorum usum Terentianum pertinent; sunt autem Stahl (,*De natura atque usu imperativi apud Terentium*'. Marburg 1886), Liebig („Die hypothetischen Sätze bei Terenz". Görlitz 1863), Blase (cf. Hist. Gram. d. lat. Sprache, hgb. v. Landgraf. III, 1), Praeterea inspexi Lindsayi ,*Syntax of Plautus*'. Oxford 1907. Quibus in omnibus viris doctis, quos modo commemoravi, hoc reprehendo, quod in singulis locis interpretandis rationi metricae nullam fere vim tribuerunt, sed in iudicando poëtae genere dicendi eadem ratione usi sunt atque in prosae scriptorum consuetudine loquendi. Mea autem sententia aliter est iudicandum de illo, aliter de hac. Atque id ipsum quo solutae orationis scriptores et poëtae inter se differunt, metrum dico, tanti esse momenti in ratione loquendi Terentiana mihi persuasi, ut saepe verborum usus poëtae proprius nisi illius ope explicari nequeat. Itaque in hac quaestione praecipue spectabo rem metricam; insuper autem etiam rationem psychologicam respiciam, et eam quidem maxime in parte posteriore, qua egi de modorum usu Terentiano, quam postea in lucem edam.[1])

[1]) Perspicuitati id concessi, ut contra morem terminos, qui tempora, modos, numeros significant, litteris initialibus maiusculis distinguerem.

Nunc autem nos conferre volumus ad huius dissertationis partem priorem, quae est:

A. De usu temporum Terentiano.

I. De indicativo Praesentis.

Praesentis indicativum statum tempore praesenti durantem significare nemo ignorat.

§ 1. Difficillimum autem est temporis praesentis notionem artis finibus circumscribere. Nam si quis exempli gratia ei, qui modo aliquid interrogavit, dicit: ‚interrogas?‘ Praesens adhibet, etsi actio interrogandi non iam in tempus praesens, sed in proximum tempus praeteritum cadit.[1]) Praesens autem sumit propterea, ut opinor, quod ille, quem alloquitur, eo praesente interrogavit et id, quod verbum interrogandi complectitur, cogitatione eius, qui alloquitur, comprehensum etiam ipso tempore praesenti durat. Quae res causam psychologicam continere mihi videntur, cur in exemplo supra commemorato Praesens usurpetur. Quod nisi ita esset, meo quidem iudicio fieri nullo modo posset, ut quod attinet ad rationem syntacticam Praesentis indicativus legitimus eorum verborum, quibus res momento temporis actae exprimuntur, primis Singularis et Pluralis personis exceptis formaretur. Hoc autem modo in Praesentis indicativo inest aliquid temporis praeterita significantis. Itaque mirari non possumus Praesens denique etiam adhiberi, ubi actio verbi ad remotius tempus praeteritum pertinet. Ad hunc autem Praesentis usum explicandum accedit, quod is, qui loquitur, rem, quam ipse vidit, tam alacri animo concipere potest, quasi eodem temporis momento, quo verba facit, agatur. Sed haec sunt communia fundamenta psychologica Praesentis temporis res praeteritas exprimentis. Proferam etiam causas proprias, cur cum ab aliis scriptoribus Latinis tum a Terentio Praesens pro Perfecto substituatur. Sed quod Blase (l. c. p. 103) priscos scriptores Latinos haec tempora sine ulla lege inter se mutare dicit, nullo modo possum

[1]) De ‚actionis genere‘ indicativi Praesentis cf. B. Delbrück in „Grundriß der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen“, IV, p. 310/311.

probare. Certe id in Terentium non cadit. Rem ita, ut Blase exponit, sese habere apud Terentium nemo potest credere nisi is, qui Praesentia a poëta adhibita diligentius perspicere non conatur.

a) Mihi autem quaerenti, quibus causis commotus ille Praesens, quamquam res est praeterita, sumat, primum apparere videtur saepe huius generis dicendi causam esse petendam e sermone communi vel cotidiano, quem imitatur, ut

And. 240 quod verbum audio? — 577 .. is mihi suadet, nuptias .. ut maturem. — 751 dictura es, quod rogo? — 908 Glycerium huic civem esse ais?

Heaut. 192 quid narrat? — 243/4 audin, Clinia? — Ego vero audio nunc demum et video. — 772 sese ipse dicit tuam vidisse filiam. — 883 Menedeme, advenis?

Eun. 532 dico ego me insidias fieri? — 957 nunc minatur porro sese id quod moechis solet.

Phor. 39 nam erilem filium eius duxisse audio uxorem. — 136 quid narras? — Hoc, quod audis! — 289 iam dudum te omnis nos accusare audio. — 388 quasi non nosses, temptatum advenis. — 731 ita patrem adulescentis facta haec tolerare audio. — 748 quid rei tibist cum familia hac, unde exis? — 906 idque adeo venio. — 990 qui nominat me?

Adel. 210 quid istuc Sanniost, quod te audio nescio quid concertasse cum ero? — 478 pro certo tu istaec dicis? — 777 quid Ctesiphonem hic narrat? — 778 quor hic nominat? — 799/800 quor nunc .. potat? quor recipis? quor emis? — 924 iubet frater?

Hec. 458 advenis modo?[1])

Cum haec exempla modo allata exstent omnia in deverbiis, de Praesentis usu sermonis cotidiani proprio agi perspicuum est, quem maxime pertinere ad verba dicendi, sentiendi, eundi ex locis supra praebitis cognosci potest, id quod etiam in consuetudinem nostri sermonis quadrat; compares: „Was sagst Du?" = „Was sagtest Du?" =

---

[1]) In exemplis allatis ubique secutus sum Dziatzkonis editionem in And. Heaut. Eun. Hec., Kaueri in Adel., Hauleri in Phor.

„Was hast Du gesagt?“ aut „Wie ich höre“ = „Wie ich gehört habe“ etc.

b) Aliter iudicabimus de multis exemplis sequentibus Praesentis quod vocamus historici, quae mihi satis explicata videntur ratione quadam quasi rhetorica propterea, quod inveniuntur in rerum expositionibus fervidis; in his Terentium Praesens historicum more modoque oratorum usurpare existimaverim eo consilio, ut actorem aliquam rem narrando sic explicantem faciat, quasi agatur res, non quasi narretur. Atque ut res, quae narratur, audientium animos quam maxime teneat, poëta indicativos Praesentis, Perfecti, Imperfecti et infinitivum Praesentis historicum in eisdem periodis alternantes facit. Huc spectant loci hi:

And. 115—148 prodeo . . ecfertur . . imus . . aspicio . . accedo . . rogo . . aiunt . . percussit . . procedit . . sequimur . . venimus . . impositast . . fletur . . accessit . . indicat . . adcurrit . . complectitur . . reiecit se . . redeo . . venit . . negare . . instat . . discedo. — 284—298 vocat . . accessi . . incipit . . dat . . occupat . . accepi. — 353—365 prehendit . . ait . . percurro . . invenio . . ascendo . . circumspicio . . video . . rogo . . negat . . cogito . . incidit . . advenio . . gaudeo . . maneo . . video . . accessi . . aspexi.

Heaut. 122—127 ubi comperi . . revertor . . adsido . . adcurrunt . . detrahunt . . video . . faciebant. — 304—306 ubi dicimus . . desinit . . opplet.

Fun. 234—239 conveni . . video . . deseruit . . contempsi. — 255—261 loquimur . . adventamus . . concurrunt . . salutant . . vocant . . gratulantur . . videt . . coepit. — 335—345 adcurrit . . inquit . . restiti . . abiit . . rogo . . respicio . . advenio . . erat. — 512—528 ubi veni . . repperit . . ait . . erat . . adcumbere . . dare . . quaerere . . ubi friget, . evasit . . dico . . misit. — 576—603 ubi accepit . . abducit . . commendat . . edicit . . imperat . . adnuo . . inquit . . abducit . . manent . . adornant . . adhortor . . sedet . . coepi . . gaudebat . . accersitur . . ut lavit, rediit . . conlocarunt . . sto . . venit . . inquit accipio . . proruunt se, abeunt . . perstrepunt . . opprimit . .

specto-circumspecto . . obdo. — 617—627 postquam advenit . . rogat . . irasci . . audere . . instare . . faciebat . . invitat . . mansit . . putare . . voluit . . inquit . . tendere . . demit . . dat. — 634 redeo. — 641 praetereo.

Phor. 91—95 dum sedemus . . intervenit . . mirarier . . rogamus . . vidi. — 617—620 ut abii . . fit obviam . . visumst . . prendo. — 860—864 sumus profecti . . mittit . . occipio . . accurrit . . reprendit . . resupinat . . respicio, rogo . . ait. — 878—880 egreditur . . recipit se . . ait.

Adel. 618—623 ubi vidi . . accedo, rogito . . exclamat . . sensi.

Hec. 39—41 placeo . . venit . . convolat . . tumultantur, clamant, pugnant . . potui. — 118—179 dicere . . negare . . postquam instat, fecit . . effecit . . despondit . . visumst . . postquam videt . . tulit . . deducit . . attigit . . fit . . seducit . . narrat . . postquam videt . . facta est . . ferre et tegere . . elapsust . . transtulit . . moritur . . extrudit . . relinquit . . convenibat . . coepit. — 367—378 postquam aspexere . . exclamant . . sensi . . praecucurrit . . consequor . . postquam adveni . . cognovi . . corripui . . consequitur . . accidit. — 818—831 restituo . . reddo . . exsolvi . . extimui . . simulare . . postquam video . . coepi . . fatetur . . dicit . . cognovit . . rogat . . narro . . est facta.

Huc sunt referendi, ut magna ex parte (cf. Eun. 512—28, Hec. 118—184, 818—31) modo vidimus, etiam ei loci, quibus coniunctiones ‚postquam', ‚ubi', ‚quom' Praesenti historico adiunctae sunt:

a) postquam: Phor. 1 — 569 — 632, Hec. 187 — 826;

b) ubi: Adel. 471 — Heaut. 304 — Eun. 132 — 414 — Hec. 183 — 185;

c) quom: And. 362 — Eun. 342 — 345 — 725 — 792.

Praeterea occurunt nonnulla exempla, in quibus vocabula ‚postquam', ‚quom' cum Praesenti historico coniuncta esse mihi videntur in primis ideo, quod additum est ‚nunc'; dico

And. 513 nunc postquam videt . . missast.
Hec. 680 nunc postquam vides . . nactus es.
Eun. 47 non eam ne nunc quidem quom accersor?

Sed credas locis sub b) congestis interdum metricam quoque rationem ad Praesens pro Perfecto adhibendum aliquid contulisse (cf. And. 130—133).

c) Sine dubio autem mea quidem opinione Terentius formam Praesentis, non Perfecti sumere metro coactus est locis his:

And. 79 accepit condicionem, dein quaestum occipit. — 285 accessi; vos semotae; nos soli: incipit (sed hunc locum etiam ad rationem rhetoricam revoces: cf. p. 8). — 761 ita me miseram territas. — 772 ne illa illum haud novit, quoius causa haec incipit. — 924/5 tum ille egens forte adplicat | primum ad Chrysidis patrem se.
Eun. 809 hic furti se adligat. — 988 me impulsore hoc non facit. — 1021/2 sed iam pendebis, adulescentulum istum qui nobilitas | flagitiis et eundem indicas |
Phor. 72 senes me filiis relinquont. — 135 factumst; ventumst; vincimur. (Pro certo affirmo Terentium hoc loco ‚victi sumus' aut fortasse etiam ‚victumst', ut similiter cadens sicut in Ad. 474 *‚ignotumst, tacitumst, creditumst'* efficeret, positurum fuisse, si metrum ei permisisset. cf. Phor. 103/4 ‚imus, vēnimus, | videmus', ubi inter Praesentia Perfectum propter versus finem exstat; cf. Hauleri adn. ad v. 135.)
Adel. 364/5 omnem rem modo seni quo pacto haberet ennarramus ordine.
Hec. 116 pater uxorem ut ducat orare occipit. — 268 sancte adiurat. — 361/2 nequeo . . invenire . ., unde exordiar narrare quae necopinanti accidunt (cf. v. 363 partim quae perspexi hisce oculis, partim percepi auribus). — 771 Bacchis deierat persancte.

Hoc per se intellegitur poëtam nostram non tam libere ac licenter Praesentis indicativo usurum fuisse, nisi ipsa lingua Latina ad illum usum proclivis fuisset. Sed exemplis supra

prolatis rationem metricam subesse cur credam, duplex est causa, una, quod permultis locis agitur de verbi formis primae coniugationis, cuius Perfecta saepissime versibus obsistunt; altera, quod plurima illorum Praesentium pro Perfectis adhibitorum extremis in versibus, nonnulla ante caesuram (aut diaeresin) sunt collocata.

Neque enim ignotum est versus finem et caesuram praecipuam quandam vim in verbi formis elegendis habere. Contemplanti autem mihi attento animo versuum rationem esse apertum videtur Terentium et alios poëtas operam dare, ut una cum versu etiam enuntiatum aut enuntiati colon finiant (cf. Leo ‚*Saturnischer Vers*'. Berlin 1905, p. 14, adn. 2). Sed cum et illud et hoc plerumque verbi forma concludat, sic fere fieri solebit, ut ea versu exeunte ponatur. Ita autem poëta saepe in magnam difficultatem incurrit. Nam verbi forma, quam forte enuntiatum postulat, interdum propter mensuram, interdum propter maiorem aut minorem numerum syllabarum non apta est ad versus finem. Itaque poëta nisi forte cogitatum aliis verbis exprimere vult, id quod certe semper fere unius vocis gratia non faciet, facere non poterit, quin ad aliam verbi formam confugiat. Haec autem eadem potest esse, quod attinet ad significationem, sed plenior forma, ut non raro a Terentio in extrema parte versus Praesentis infinitivus in – ier exiens pro infinitivo in – i formato adhibetur (cf. E. Stange, ‚*de archaismis Terentianis*', Wehlau 1890. p. 14 sqq. et Brock, ‚*Quaestionum grammaticarum capita duo*', Dorpat 1897, p. 85 sqq.) Sed si talis forma poëtae se non offert, non verebitur etiam syntactice a vulgari verbi usu recedere, quae res ad exempla supra congesta convenit et etiam magis ad multa alia, quae nobis postea occurrent, conveniet.

Quibus rebus tractatis non ab omni parte est consideratum, quanti momenti sit versus finis ad verbi formas. Fieri enim potest, ut alia vox enuntiati per se ipsa propter naturam syllabarum ad versum exeuntem magis idonea sit quam verbum, quam ob rem poëta illam in versus fine collocat. Quae si ita sunt, id saltem aget, ut verbi formam in versus sede proxima extremae constituat. Fieri autem potest eodem

modo, ut verbi forma usitata etiam ad hunc locum versus se non accommodet. Si alia exstat, quae idem significat, poëta nimirum eam adhibebit. Conferas Horat, epist. II,2,148: ‚*Tanto plura cupis, nulline faterier audes?*' Similiter autem res se habet apud Terentium in Hec. 637: ‚*Sin est, ut aliter tua siet sententia*'. Neque ulla est causa, cur discedendum sit ab hac lectione bene tradita et corrigendum cum Dziatzkone: ‚Sin est, ut aliter tua ista sit sententia' (cf. Hauleri adn. 2, p. 63 in editione Phormionis). Sed poëta paenultimo versus loco nonnumquam metri necessitate coactus ab usitata verbi forma etiam syntactice recedit, ut in hac quaestione ostendetur.

Altera autem res occurrit, quae ad finem quoque versus est referenda. Interdum enim fit, ut verbi forma una et sola a poëta non iam in eodem versu collocari possit; ita illa ei in initio versus sequentis necessario ponenda est. Sed etiam hoc loco accidere potest, ut forma usitata ad versum non apta sit. Atque etiam hic si ei facultas verbi formae minus usitatae adhibendae offertur, adhibet. Quam ad rem revoco Adel. 82/3 ‚*rogas me, ubi nobis Aeschinus siet?*' Nam hanc formam archaicam commutare, ut Spengel (ad Adel. 83) et Engelbrecht (‚*Studia Terentiana*'. Vind. 1883. p. 52) fecerunt, non necessarium esse opinor pariter atque Hec. 637 (cf. supra). Nam etiamsi archaismi ‚siem', ‚sies' etc. nullo fere alio loco apud Terentium nisi in versus fine et ante caesuram occurrunt, mihi tamen illa exempla supra commemorata huic legi non repugnare, sed potius eam confirmare videntur idcirco, quia in locis fini versus proximis apparent et propter hanc rem ipsam in parem libertatis condicionem mea quidam sententia sunt recepta atque in versus fine. Ita vero etiam in versuum initiis adhiberi possunt verbi formae, quae cum syntactico usu vulgari temporum et modorum non omnino congruunt, ut postea nonnullis locis Terentianis videbimus.

Nunc autem si ad id redimus, unde profecti sumus (p. 11), cum diximus et Terentium et alios poëtas studere cum versu exeunti enuntiati primarii aut secundarii finem coniungere et ob hanc rem ipsam verbi formam saepissime

in extrema versus parte collocari necesse esse, quaestio exsistit, quo illud studium poëtarum sit referendum. Quod cohaerere puto cum poëtarum consilio efficiendi, ut in versus fine paulum interquiescatur. Versus enim in poësi item est totus ex sese aptus ut in oratione enuntiatum. In hac autem enuntiati finis interspiratione conspicuus fit; eodem autem modo versus finis demonstratur. Sed nisi una cum versu etiam enuntiatum finitur, fieri non potest, quin interspiratio legibus poëticis vel metricis repuguans exsistat. Quam rem ipsam ut vitet, poëta id spectat plerumque, ut cum versu etiam enuntiatum finiat.

Sed haec res, quam modo exposui, magna ex parte etiam in caesuram (aut diaeresin) convenit, quo versus loco aeque ac versu exeunte mora respiratioque fit. Itaque mirari non possumus etiam in caesura saepe verbi formas nobis occurrere apud poëtas et vim metricam sentire. Terentium autem formas archaicas pro usitatis perinde ante caesuram atque in versus fine metri causa substituere notum est (cf. Stange et Brock l. c.). Sed ut hic ita illic talis forma non semper, ubi metro postulatur, poëtae se praebet; quam ob rem interdum etiam in caesura a vulgari usu temporum et modorum metrica ratione recedere coactus est (cf. p. 10/11). Sed eadem quoniam ad caesuram pertinent, quae antea de versus fine dicta sunt, etiam amplius disserere supervacaneum est. Harum autem rerum (p. 11—13) reminisci debebimus, ubi de causa metrica agetur in sequenti quaestione.

Nunc iam revertor ad usum Praesentis Terentianum. Neque vero ad Praesens pro Perfecto a poëta adhibitum quicquam habeo, quod addam.

§ 2. Itaque aliud Praesentis genus aggredi volo. Terentius enim Praesens non solum usurpat pro praeterito, sed etiam persaepe pro futuro tempore. De hoc Praesentis usu idem afferri potest, quod de illo (p. 6), res futuras a poëta tanta alacritate proponi, quasi eodem temporis momento, quo dicuntur, agantur. Haec autem causa ad enucleandos singulos locos mihi non magis sufficit quam quod Blase (p. 108) dicit: *„Der futurale Charakter des Präsens ergibt sich*

immer aus dem Zusammenhange der Rede oder der Situation." Recte quidem! Sed si in hac re aliqua vis esset, scriptori perpaucis locis, ubi agitur de re futura, etiam Futuri forma uti opus erat. Hac igitur re Blase nihil explicare potest.

a) Contra probo eius sententiam eodem loco dictam de particulis ‚cras', ‚mox', ‚post', ‚iam' ad formas Praesentis adiectis, e quibus rem ad tempus futurum pertinere satis eluceat. Exempla Terentiana huc referenda sunt:

And. 485 mox ego huc revertor. — 922 iam sciri potest.
Eun. 338 cras est mihi iudicium. — 788 quam mox inruimus..
Ad. 339 nunc . . si . . proferimus, . . ibit. — 757 post huc redeo.

Quae cum ita sint, non est mirum Terentium nonnumquam etiam infinitivum Praesentis pro Futuri ponere, ut Phor. 531/2 ‚cras mane argentum mihi miles dare se dixit'; poëta ‚daturum esse' hoc loco non adhibet, quia voce ‚cras' tempus futurum satis illustratur. Sed hoc strictim attingo.

b) Haud raro Terentius Praesens pro Futuro substituit etiam eis locis, quibus notio temporis futuri verbo ipsi subiecta est. Talia verba sunt: ‚velle', ‚nolle', ‚malle', ‚pergere'. Ex exemplis permultis haec praebeo:

Heaut. 106 tantisper volo, dum . . facies. — 803 . . conficiam, . . quod volo. — Phor. 937/8 si pergitis . . quid facies? — Ad 192 si nolo, . . coges me?

Atque cum in plurimis horum exemplorum agatur de prima Singularis persona verborum ‚velle', ‚nolle', eo minus mirum est Praesens exstare; nam velle aut nolle his locis omnibus in ipsum tempus praesens cadit.

c) Haec autem omnia ad sermonem cotidianum pertinere non minus apertum est quam aliis permultis locis, ad quos nunc transimus, quorum certum consilium alicuius rei perficiendae videtur mihi proprium esse. De hoc usu Praesentis Plautino egit Rodenbusch in capite III dissertationis, quae est *‚de temporum usu Plautino, quae-*

stiones selectae'. (Argentorati 1888.) Quae quamquam est valde laudauda propter diligentiam et subtilitatem, tamen eam sententiam viri docti sequi non possum, quam per totum opusculum expromit discrimen temporum usus Plautini et Terentiani teneri eo, quod ille ‚*celeritate in loquendo*', hic ‚*sedatiore genere dicendi*' utatur (cf. p. 16, 27/8, 42 etc.). Nam quantum vidi, Plautus non multo aliter tempora usurpavit atque Terentius. Ac quod Rodenbusch saepius dicit temporum usum, quem ad celeritatem loquendi pertinere vult, omnino apud eos scriptores, qui sermonem cotidianum adhibeant, apparere, sed non ita crebro ut apud Plautum, haeret res, si ad Terentium revoco, in eo, quod hic poëta minorem numerum fabularum fecit quam ille. Et comparate, non simpliciter aestimata huius usus temporum exempla certe apud Terentium non minus frequentia sunt quam apud Plautum.

Ita res est etiam in Praesenti pro Futuro a Terentio adhibito.[1]) E magno exemplorum huc pertinentium numero sumo haec:

And. 244 quod si fit, pereo funditus. — 321 hodie uxorem ducis? — 322 si id facis, hodie postremum me vides. 352 uxorem tibi non dat iam Chremes. — 371 nempe huic prorsus illam non dat. — 372 . . si huic non dat . . — 611 posthac incolumem sat scio fore me, si devito hoc malum. — 956 eo intro. — 957 proviso, quid agat Pamphilus (contra Phor. 899/900 Demiphonem si domist, visam).

Heaut. 346 istuc ago. — 740 et 942 quam rem agis? — 742 tuom tibi reddo. — 1000 ego fugio.

Eun. 378 quid agis? — 1066 sic ago.

Phor. 179 nullus es, nisi iam aliquod tibi consilium celere reperis (cf. Sjögren l. c. p. 27). — 216 quid agis, quo abis? — 586/7 quod si fit, . . id restat. — 669 nihil

[1]) Dissertatione iam scripta delegatus sum ad Sjögreni librum „Zum Gebrauch des Futurums im Altlateinischen." (Uppsala 1906.) Sed cum hac quaestione non adducar, ut sententiam meam mutem, satis habebo plerumque ad illum librum ubi opus est remisisse. Ad Praesens pro Futuro adhibitum cf. caput I. h. l. p. 5 sqq.

do! (contra 670 ‚ego dabo' propterea, quod enuntiatum est positivum). — 782 plagae crescunt, nisi prospicis. — 850 iam fiet, nisi resistis. — 1044 neque ego ignosco neque promitto quicquam neque respondeo.
Adel. 231 nisi eo ad mercatum venio, damnum maximumst. — 246 nusquam abeo. — 435 ego vero hinc abeo. — 509 licentia profecto evadit in aliquod magnum malum. — 549 si forte frater redierit viso. — 735 fiunt nuptiae. — 880 si id fit dando atque obsequendo, non posterioris feram. — 889 proviso, quam virginem accersant. — 935 nihil agis.
Hec. 775 quod si perficio, non paenitet me famae.

Hic animum intendas praecipue ad eos locos, quibus Praesentis indicativis particula negans adiecta est (cf. Sjögren p. 36—38).

Iam de consuetudine loquendi vulgari agitur etiam eis locis, quibus Terentius Praesentis indicativum adhibet, ut iussum vel adhortationem exprimat. Conferas:

And. 337 Fugin huc? (= fuge!) — Heaut. 919 non tu te cohibes? non te respicis? (= te cohibe! te respice!) — Phor. 849 non manes? (= mane!) — 987 non taces? (= tace!) — Adel. 550 etiam taces? (= tace! cf. Kaueri adn. ad hunc versum). — 942 non omittitis? (= omittite!)

Tum ad sermonem cotidianum referenda sunt etiam exempla Praesentis indicativorum eorum, qui habent potestatem dubitativam. Affero locos hos:

And. 315 adeon ad eum? — Heaut. 343 quid ago nunc? — Eun. 162 ego id timeo? — 434 purgon ego me? — 811 quid nunc agimus? — 814 iam dimitto exercitum? 1088 quid agimus? — Adel. 639 quor non ludo hunc aliquantisper? — Phor. 736 quid ago? (cf. Sjögren p. 84, quo loco vir doctus nimiam diligentiam in explicando mihi videtur adhibere; ac quod adnotat Sjögren: „Der Gebrauch der deliberativen Fragen überhaupt ist bei Terenz viel häufiger und freier als bei Plautus", hoc ad Terentii studium rhetoricum referendum esse credo). — 737 adeo, maneo? — 1007 quid agimus?

Qua in re quis non meminerit etiam nostra lingua dici: „Was tuen wir?“

Denique revoco ad sermonem communem etiam nonnullos locos, quibus Terentius particulas ‚dum‘ („bis“) et ‚priusquam‘ („bevor“) adiunxit Praesenti pro Futuro II posito (cf. Sjögren p. 48—52). Vide

And. 714 Mysis, dum exeo (= exiero) |, parumper me opperire!

Heaut. 833 tu hic nos, dum eximus (= exierimus) |, interea opperibere.

Eun. 206 exspectabo, dum venit (= venerit) |.

Phor. 719 transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc priusquam hinc abit (= abierit). — 982 adsequere, retine, dum ego huc servos evoco (= evocavero).

Adel. 196 delibera hoc dum ego redeo (= rediero).

Qui usus Praesentis indicativi quamquam sermonis cotidiani proprius est, admiratione tamen non omnino carere — in Terentiano quidem dicendi genere — mihi videtur, praesertim cum Heaut. 833, Eun. 206, Phor. 719 contempler. Sed si exempla supra commemorata accuratius intuemur, videre possumus illa Praesentia omnia exstare in versus fine aut ante caesuram. Itaque iure suspicari nobis licet metrum quoque aliquid valuisse ad Praesens pro Futuro II illis locis substitutum, idque eo magis coniciemus, si comparaverimus Phor. 1045 ‚neque respondeo, priusquam gnatum videro‘; Ad. 718 ‚certum obsidere est usque donec redierit‘ („bis er zurückkehrt“); Phor. 420 ‚immo haud desinam, donec perfecero hoc‘. 589/90 ‚neque defetiscar . ., donec . . effecero.‘ Quae ob ipsa exempla explicatio Kaueri ad locos superiores spectans (cf. adn. ad Adel. 196): „Der Nebensatz bezeichnet in diesem Falle lediglich den Zeitpunkt für eine im Hauptsatze mit großer Bestimmtheit ausgesprochene oder angeordnete, in der Zukunft liegende Tätigkeit“ mihi non sufficit.

d) Ad metricam autem rationem non pauca exempla Praesentium pro Futuris a Terentio adhibitorum revocare

non dubito idcirco, quia plurimis locis de verbis coniugationum I et II agitur, quorum Futura versibus resultant, praeterea autem haec Praesentia pro Futuris collocata aut in versus fine aut in caesura maximam parten stant. Huc pertinent mea quidem sententia exempla haec:

And. 208 quae si non astu providentur, | me aut erum pessum dabunt. — 528/9 nunc Chremem conveniam, orabo gnati uxorem: si impetro, | quid alias malim? — 594 domum ibo . . atque huc renuntio. | (contra cf. And. 599 ibo ad eum atque eadem haec . . dicam illi. — Eun. 461 adibo atque adsimulabo. — Phor. 783 ibo ac . . edocebo). — 569 at si corrigitur, | quod commoditates, vide! (cf. 568 si eveniat . . . discessio).

Heaut. 33/34 de illius peccatis plura dicet, . . nisi finem maledictis facit. — Sed hoc loco praeterea Terentium facere voluisse credo, ut versus 34 cum antecedente consonaret extrema syllaba { v. 33 — dab*it* / v. 34 — fac*it* }, id quod nobis apud hunc poëtam saepe occurrit; (cf. And. { 919 — s*iet* / 920 — aud*iet* } — { 772 — incip*it* / 773 — vider*it* / 774 — dab*it* } — Eun. { 601 — specto / 602 — specto } — Hec. { 18 — disc*erem* / 19 — abduc*eren* } — { 138 — cub*uerit* / 139 — pot*uerit* } — { 310 – gerunt / 311 – gerunt }) — 107/8 quod te dignumst, facies; sed si id non facis, | ego . . invenero. — 1001/2 ad Menedemum hunc pergam; eum mihi precatorem paro. |

Eun. 211 hoc peribit. — Ego quoque una pereo. | — 485 ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur. | — 502 si id non commodumst, | ut maneat; si id non poterit . . — 638—40 si non tangendi copiast, | eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet, | saltem hoc licebit. — 750 et habetur et referetur . . gratia. — Hic dixerit quispiam discrimen intercedere inter ‚habere gratiam' et ‚referre gratiam'! Quod etsi per se recte habet, tamen crediderim etiam Terentium ut alios scriptores Latinos hac bimembri locutione unam solam rem exprimere voluisse et hoc loco poëtam ex metri necessitate ‚habetur' pro

‚habebitur' posuisse, quod haud scio an ei placuerit eo magis, quod propter parem verborum exitum (et hab-*etur* et refer-*etur*) figuram ‚similiter cadentis' adhibere potuit, quam habet in deliciis.

Phor. 626 quid hic coeptat aut quo evadet hodie? — 629 sudabis satis, si cum illo inceptas homine. — 675 me certiorem face, si illam dant. | — 812 quid illa filia amici nostri, quid futurumst? hanc igitur mittimus? Adel. 588 prandium corrumpitur. |

His ex exemplis modo allatis intellegas Terentium Praesens pro Futuro saepe adhibuisse iuxta Futurum in enuntiatis condicionalibus, quas, ut iam (p. 5) dixi, Liebig tractavit. Quem cum metricae causae nullam rationem habeat in explicando, nescire, quid nonnullis exemplis, ut Phor. 628/9, faciat, non est mirum (cf. etiam caput de Futuro II).

§ 3. Postremo ut usum Praesentis temporis Terentianum ab omni parte considerem, mihi liceat commemorare hunc poëtam sicut ceteros omnes scriptores Praesentis indicativum saepissime usurpare in eis enuntiatis, quae cum significent ea, quae ex consuetudine fiunt, ad nullum certum tempus pertineant, praecipue igitur in sententiis, quarum de maximo numero excerpo has: And. 68 ‚obsequium amicos, veritas odium parit'. — Phor. 203 ‚fortis fortuna adiuvat'.

Caput II.

De indicativo Imperfecti.

Cum Praesentis indicativo[1]) Imperfecto est communis status durans, nisi quod ille eum praesenti, hic praeterito temp re significat. Haec Imperfecti natura forma ipsa indicatur, si Skutschii interpretationem (cf. ‚atti del congr.

[1]) Opusculo iam confecto inspexi Wheleri commentationem ‚*The Imperfect Indicative In Early Latin*' in Amer. Journ. of Phil. XXIV, p. 163 sqq., et item Blasei „Studien und Kritiken zur lateinischen Syntax", 1. Teil, Mainz 1904, qui p. 5 sqq. iudicium fecit de illa quaestione. Sed cum neque hic neque illic quicquam reppererim, cur de sententiis meis decederem, haec commemoratio sufficiat.

internaz sc. st.' II) sequentes sumimus Imperfecti formam ex Praesentis Participio et voce ,fam' (= eram) compositam esse (,amabam', ,audiebam' = ,amans fam', ,audiens fam'). Ita varios huius temporis usus optime intellegimus.

§ 1. Atque Imperfectum in primis ad res describendas adhiberi consentaneum est. Sed cum hoc Imperfecti genus sit vulgare, e permultis exemplis Terentianis haec sola profero:

And. 59 studebat. — 110 sic cogitabam. — Heaut. 110 operam dabam. — Eun. 107 ea habitabat Rhodi. — 155 nescibam — Hec. 94 licebat. — 294 habebam. — Phor. 83 serviebat. — 109 ille, qui illam amabat. — Adel. 152 sperabam.

§ 2. Porro creberrime Imperfectum eorum, quae notionem condicionis durantis in se contineant, verborum, inter quae sunt ,expectare', ,gaudere', ,mirari', ,metuere', ad tempus praeteritum exprimendum a poëta poni non est mirum. Conferas And. 60 gaudebam. — 435 exspectabam. — 175 mirabar. — Phor. 573 commorabare.

§ 3. Simili modo invenitur Imperfectum eis locis, ubi status praeterito tempore durans adverbiis ipsis ,diu', ,iam dudum', ,semper' denotatur, ut

And. 175/6 semper . . verebar. — Heaut. 758 iam dudum optabam. — Eun. 397/8 semper . . agebat. — 1000 iam diu quaerebat.

§ 4. Cum his exemplis cohaerent artissime ea, in quibus Terentius Imperfectum usurpat ad repetitionem rei praeteritae exprimendam. Quod huius temporis genus Blase (l. c.) omnino fere non memorat, quamquam non plane congruit natura atque vi cum Imperfecto descriptionis. Nam in Imperfecto repetitionis non agitur de statu sine intermissione duranti, quae res est propria Imperfecti descriptivi, sed de actione ea, quae saepius intermittatur. Quod ut alio modo exponam: hoc Imperfectum significat infinitum temporis spatium, intra quod actio, quae per se ipsa Perfecto historico exprimeretur, repetitur. Atque haec repetitio interdum adverbis ipsis ,saepe', ,cottidie', ,frequenter' aliisque indicatur. Apud Terentium exstant exempla haec:

And. 83—90 observavabam - rogitabam - dicebant - gaudebam - quaerebam - comperiebam. — 107 aderat frequens. — 109 nonnumquam conlacrumabat.

Heaut. 102 cottidie accusabam. — 260 cantabat .. semper frustra.

Eun. 407 me abducebat (cf. 405 ... ubi volebat‘ p. 25).

Phor. 89 hic solebamus fere plerumque eam opperiri. Hic in ipso verbo ‚solere‘ notio repetitionis inest. — 365/6 saepe . . senex narrabat. — 790 talenta argenti bina statim capiebat. ‚Statim‘ hoc loco in nullam aliam sententiam accipi potest nisi „beständig“, „jährlich“ (cf. Hauleri adn. ad h. v.).

Adel. 332 iurabat. — 333 dicebat. — His locis poëtam repetitionem exprimere voluisse sine ulla dubitatione contra Rodenbuschium (l. c. p. 9) contendo; cf. Hec. 60 ‚Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi!‘ (cf. p. 24).

Hec. 157 Ph.: . . ibatne ad Bacchidem? — Pa.: Cottidie. — 802/3 ut quisque venerat, accedebam. — 805 negabant. — 651 saepe optabamus.

§ 5. Ex Imperfecti forma ipsa et natura facile ea quoque huius temporis species explicatur, quam ‚Imperfectum de conatu‘ appellamus. Nam si exempli causa dico ‚dicebam‘ (= ‚dicens fam‘ secundum Skutschium) „ich war ein Redender“, res etiam ita intellegi potest, ut actio dicendi tempore praeterito non ad finem perducta sit; hoc autem ipsum ‚Imperfectum de conatu‘ exprimit, quod illustretur exemplis his:

And. 581 *ad te ibam* („Ich versuchte = wollte zu Dir gehn“, „ich war zu Dir unterwegs“). Quod Blase hoc exemplum in numero eorum Imperfectorum ducit, de quibus (p. 148) dicit „Das Imperfect wird gelegentlich auch von Zuständen gebraucht, die zwar in der Gegenwart noch fortdauern, aber nur mit Beziehung auf die Vergangenheit genannt werden“, probare non possum. Contra res hoc loco ita sese habet, ut is, qui verba ‚ad te ibam‘ facit, eo temporis momento, quo alter venit, non iam habeat, cur eat ad eum. Actio igitur vel status eundi est interruptus et imperfectus praeterito tempore, sed non permanet praesenti

tempore. Itemque Eun. 87 *quor non intro ibas?* — Phor. 900 *at nos ad te ibamus.* — 902 *quid ad me ibatis?* — Adel. 821 *istuc ibam* („Dahin wollte ich gelangen" = „Davon wollte ich sprechen").

Phor. 52 *at ego obviam conabar tibi.* Vox non satis usitata ‚obviam conabar' hic est posita loco vocis vulgaris ‚obviam ibam' („Ich wollte zu Dir gehn" cf. Hauleri adn. ad h. v.) — 298 qua ratione inopem potius ducebat domum? („weswegen wollte er . . bringen?") — 595 quaerebat senem („er wollte den Alten aufsuchen").

Heaut. 781 non ego dicebam („nicht wollte ich sagen").

Adel. 406 *nam ut numerabatur forte argentum, intervenit homo.* Etiam hoc loco ‚Imperfectum de conatu' habemus; nam si ‚numerabatur' ad ‚intervenit homo' referimus, actio numerandi hic eo, quod intervenit homo, non pervenit ad exitum praeterito tempore.

Dubito an spectet huc etiam Adel. 809 ‚tu illos tollebas' („Du wolltest jene erziehen"). Ceterum e plurimis horum exemplorum potestatem ducas dicendi Imperfectum adhiberi ad actiones interruptas significandas.

§ 6. Genera Imperfecti Terentiana usque adhuc pertractata non differunt ab usu huius temporis communi; sed inveniuntur cum in Plauto (cf. Rodenbusch p. 8/9 et Lindsay p. 59) tum in Terentio aliquot loci, quibus Imperfectum non iure videtur positum esse ideo, quia illic agitur de simplici narratione, in qua Perfectum historicum usui est. Atque haec quidem res in nullis fere aliis occurrit nisi in verbis dicendi. Unde autem repetamus huius Imperfecti usus explicationem? Meo quidem iudicio a pluribus fontibus est repetenda. Atque quod Rodenbusch de hac Imperfecti specie dicit: *‚at certe ita res se habet, ut cum minus rationis habeatur actionis ipsius quam status durantis qui ex actione ipsa consequatur, iure adhibeatur Imperfectum. Qua re si vim plenam assequi volumus Imperfecti, vertendum nobis est: „Du versprachst mir und so warst Du durch Dein Versprechen gebunden" (promittebas)'*, huic quidem opinioni viri docti accedere non possum. Nam si scriptor, ut saepe facit, ‚promisisti' ponit,

nonne his locis Perfectum eandem significationem habet quam R. Imperfecto tribuit? („und so warst - non raro erit: „und so bist - Du durch Dein Versprechen gebunden").

Sed recte Rodenbusch iudicat, opinor, de ‚aibat', cum dicit (p. 8): *Sed Imperfectum ‚aibat' praeter eam . . . causam tam saepe ea de causa exhiberi credendum est, quod ‚ait' utrum sit Praesens an Perfectum discerni non potest, aliae autem Perfecti personae prorsus deficiunt.'* Hoc Imperfectum invenitur apud Terentium cum aliis tum his locis:

And. 932 suamne esse aibat? — Heaut. 924 id quod me fecisse aibas parum. — Phor. 480 ut aibat . . .

Cum autem hic Imperfecti usus ad nulla fere alia verba pertineat nisi ad verba dicendi, nihil obstare existimaverim, quominus sumamus ad exemplar aut per analogiam Imperfecti ‚aibam', ‚aibas', ‚aibat' etc. Imperfecta etiam aliorum verborum dicendi in simplici narratione et a Plauto et a Terentio esse adhibita.

Praeterea autem cum hic Imperfecti usus praecipue exstet apud poëtas (Blasium enim nonnullos locos apud Ciceronem aliosque scriptores occurrentes non iure (p. 146/7) huc referre puto) mea quidem sententia ei certe metro interdum ad illum adducti sunt, ut Terentius in Eun. 111/12 *‚matris nomen et patris | dicebat* (in versus initio! cf. p. 12) *ipsa* aut 114 *‚mercator hoc addebat'* (ante caesuram!).

Sed si exempla accuratius inspicimus, etiam communem rationem huius generis Imperfecti meo quidem iudicio reperire possumus. Nam plurimis locis, quibus Imperfectum verborum dicendi invenitur, de longiore narratione agitur; compares iterum Eun. 114 ‚mercator hoc addebat'; addit autem mercator v. 114/15 tres res. Item Eun. 372 ea, quae Imperfecto ‚dicebas' indicantur, commoda a versu 366 usque ad versum 370 enumerantur. Ac similiter res se habet Eun. 378 *‚iocabar equidem'*. His igitur locis Imperfectum actionem dicendi longiorem significare reor; et si accurati esse volumus, vertemus: „er machte diese längere Bemerkung" (addebat), „Du führtest des längeren aus" aut etiam „Du schildertest" (dicebas). Ergo talibus in

exemplis res non longe aliter se habet atque locis p. 20 allatis, quibus agitur de verbis ‚exspectare', ‚gaudere' etc. Atque etiam id dici potest talibus Imperfectis actiones dicendi cum quadam vi et gravitate denotari. Huc sunt referenda etiam haec exempla Terentiana: And. 490 *non imperabat* - 657 *postulabat* - Hec. 538 *negabas*. — Sed contra Rodenbuschium (p. 9) huc non revoco Adel. 332/33 (cf. p. 21); nam iure accipere possumus eum, ad quem Imperfecta ‚iurabat' et ‚dicebat' hoc loco pertinent, saepius et iuravisse et dixisse, quam ob rem ‚iurabat' et ‚dicebat' sunt Imperfecta repetitionis.

Denique etiam sumere possumus poëtam commutatis temporibus, ut in And. 490/1 *‚non imperabat - postquam egressast - clamat -'* rerum condicionem ad alliciendos audientium animos aptiorem facere voluisse, i. e. consilium rhetoricum persecutum esse (cf. p. 8).

§ 7. Sed Terentius habet Imperfectum non solum pro Perfecto, sed etiam pro Praesenti nonnumquam usurpatum. Huius usus causa est psychologica; animo enim eius, qui hanc Imperfecti speciem adhibet, observatur res praeterita, ad quam id, de quo loquitur, refert. Compares:

And. 85/6 *‚nam Andriae illi id erat nomen'*, — ‚erat' dicit is, qui loquitur, etsi nomen Andriae illi est etiam tum, cum loquitur; sed ‚erat' pertinet ad id temporis momentum, quo rogitabat (cf. And. 84).

Eun. 338 *‚scin quid ego te volebam?'* — Sed etiam nunc, cum ‚volebam' dicit, vult; Imperfectum ‚volebam' autem revocatur ad illud ante adventum tempus (cf. Blase p. 148).

Hec. 340 So.: *‚ehem, Parmeno, tun hic eras?'* — Est autem Parmeno tum hic, cum So. eum appellat; ‚eras' autem pertinet ad illud tempus, quo So. tumultuari audivit (cf. v. 336).

His igitur locis omnibus agitur de actionibus praeterito tempore coeptis durantibusque et praesenti tempore usque permanentibus. Sed ab eo, qui loquitur, actio certo temporis momento praeterito, cum Imperfecto utitur, spectatur.

§ 8. Postremo fiat mentio Imperfecti in enuntiatis temporalibus adhibiti:

a) Et durativa quidem Imperfecta exstant locis his:

And. 54 dum („solange") adcubabam, quam videbar mihi pulchre esse sobrius.

Hec. 421/2 dies triginta . . . in navi fui, quom („wo", „während") interea semper mortem exspectabam miser.

b) Imperfectum repetitionis occurrit in exemplis his:

Eun. 308—10 scis te mihi saepe pollicitum esse . . ., quom („so oft") in cellulam . . . penum congerebam. — 405—7 requiescere ubi („so oft") volebat . . . abducebat (cf. p. 21).

c) Imperfectum de conatu praebet:

And. 545 alium esse censes nunc me atque olim, quom dabam? („ . . . damals, als ich sie Dir geben wollte = anbot").

Restat, ut paucis absolvam:

Phor. 569—72 ‚postquam videt me eius mater esse hic diutius, simul autem non manebat aetas virginis meam neclegentiam, ipsam . . . ad me profectam esse aibant.'

Hauler iudicat (cf. adn. ad h. v.) etiam id enuntiatum, in quo ‚manebat' inveniatur, pertinere ad coniunctionem ‚postquam' („nachdem" aut notione causali: „da"). Quod iudicium quamquam non est improbandum, potius tamen putarim illud enuntiatum esse primarium et continuationi sermonis a poëta medium interpositum („zugleich aber konnte nämlich . . . nicht warten").

Caput III.

De Futuro I.

Futurum I coniugationis III et IV ex Praesentis coniunctivo et quod ad formam et quod ad significationem attinet fluxisse notum est. Haec autem res, quae non explicari potest nisi ratione psychologica meo quidem iudicio, cadit in Praesentis coniunctivum tractandum. At cur Futura I

coniugationis I et II non eodem modo atque coniugationis III et IV a Praesentis coniunctivis profecta sint, mea quidem opinione sunt causae, quae ad formas pertinent. Nam si illa pariter atque haec essent formata, confusa essent cum Praesentis coniunctivis (‚ama-es' = ‚ames' etc.) aut indicativis (‚dele-es' = ‚deles' etc.). Formas autem Futuri I coniugationis I et II Skutsch similiter atque Imperfecti explicavit (‚amabo', ‚delebo' ex ‚amans fo', ‚delens fo' = ‚amans ero', ‚delens ero' cf. p. 20). Huius viri doctissimi ad sententiam si nos applicamus et praeterea cognationem formarum Futuri I et coniunctivi Praesentis coniugationis III et IV si nobiscum reputamus, Futurum I de actionibus futuro tempore durantibus usurpari facile nobis apparet.

§ 1. Et pro cognatione Praesentis coniunctivi et Futuri I etiam vim voluntatis huic tempori subesse consentaneum est, et in Praesentis indicativo iam ostentatum est illum quoque modum non raro adhiberi ad voluntatem aut rem futuram significandam. Quae cum ita sint, fit, ut modo Praesentis indicativus modo coniunctivus modo Futurum I usurpetur ad actum voluntatis exprimendum. Sed in hoc genere dicendi creberrime Futurum I usu venit. Ita res sese habet etiam apud Terentium. Hunc autem huius temporis usum illustrent exempla haec:

And. 705 quid facies? (was willst Du tun?); cf. 708 quo hinc te agis? (wohin willst Du von hier gehn?) ego hanc visam (ich will sie besuchen). — 819 sequar hos. — 684 iam ubi ubi erit, inventum tibi curabo.

Heaut. 3 id primum dicam, deinde, quod veni, eloquar. — 91 non sinam, inquam (cf. 90 sine me!) — 138 supplicium dabo. — 170 ibo visam, si domist. — 173 ibo adeo hinc intro. — 340 ibo obviam huic, dicam . . — 426 ibo adloquar. — 647 scilicet equidem istuc factum ignoscam. — 730 ego pol istos commovebo.

Eun. 461 adibo atque adsimulabo.

Phor. 322 quid ages? — 609 adibo . . — 783 nunc . . ibo . . ac . . edocebo. — 847 hinc ire pergam. — 974 hisce ego illam . . dabo.

Adel. 632 nunc hoc primunst: ad illos ibo, ut purgem me; accedam ... — 646 ego dicam tibi („ich will Dir sagen“). — 719 ibo illis dicam.

Hec. 232 . . dices . . („willst Du sagen?“) — 339 nunc ad eam visam. — 765 reprimam me.

Ex his exemplis facile cognoscitur vim voluntativam maxima ex parte primae Singularis personae verborum eundi et dicendi inesse. — Praeterea videmus particulam ‚nunc‘, verbi formae nonnumquam praecedere. Quid sibi vult hoc additamentum? Hac de causa est appositum ad Futurum, quod is, qui loquitur, eam rem, quam facere se velle dicat, nulla mora interposita se effecturum esse exprimere in animo habet. Sed eandem fere potestatem etiam ei loci habent, ubi vox ‚nunc‘ cum Futuro coniuncta non occurrit. Differt igitur paulum aliquid hoc Futuri I genus ab usu Futuri I vulgaris, quo non exprimitur nisi aliquem aliquando facturum esse aliquid.

Huc referendum est etiam verbum ‚amabo‘, de quo Blase (l. c. p. 115/6 et Arch. f. lat. Lex. IX p. 485 sqq., X. p. 137), Stahl (l. c. p. 24/5), Seyffert (*‚Studia Plautina‘*. Berlin 1874, p. 14) accurate disputaverunt. Qua de re cum sententiam virorum doctorum sequar, exponere supervacaneum est.

§ 2. Itaque progrediamur ad alium Futuri I usum. Hoc enim tempus etiam imperativi sensum habere potest. Quae res non est mira, si nobiscum consideramus et Imperativi II Praesentis et Futuri I actionem ad tempus futurum spectare. Usurpatio igitur Futuri I hortativa mea quidem sententia est ducenda ex cognatione significationis temporalis huius et illius modi. Praeter locos a Stahlio, qui de hoc genere dicendi Terentiano (p. 37/8) egit, allatos poëta hos quoque praebet:

And. 670 hac non successit, alia aggrediemur via! („laßt uns . . angreifen!“) — 854 iam facinus faxo (de hac verbi forma et usu cf. infra) ex me audies! („Du sollst hören = höre!“)

Heaut. 335 immo ad tuam matrem abducetur! („sie soll weggeführt werden!“) — 822 iam argentum ad eam deferes! („Du sollst . . überbringen!“)

Eun. 285 ne tu istas faxo .. insultabis frustra! („fürwahr, Du sollst vergeblich an jene .. springen!") — 663 iam faxo scies! („Du sollst es erfahren = wisse!") — 893 in cognoscendo tute ipse aderis, Chaerea („sei zugegen!").

Phor. 538 quin .. experiemur .. beneficium ei reddere! („warum wollen wir nicht versuchen? = versuchen wir!") cf. Sjögren p. 77 et omnino de Futuro I p. 72—132.

(Simili modo Terentius supplet Praesentis Imperativum primae personae Singularis et Pluralis, cuius formae desunt, etiam his locis: Phor. 209 *quin abeo?* — Eun. 811 *quin redeamus?)*

Adel. 226 ubi illinc spero redieris, tamen hoc ages (= agito!) — 378 ubi ego rediero, exossabitur; prius nolo („sobald ich zurückkehre, soll er ausgegrätet werden!")

Quorum in numero exemplorum Blase etiam And. 205 refert idcirco, quia legit: ‚*neque tu haud dices* ..' Equidem lectionem Dziatzkonis ‚dicas', quam praebent codices D[1]G, propterea sequor, quod meo quidem iudicio hoc loco agitur de coniunctivo potentiali (= „keineswegs kannst Du dann sagen ..").

Si locos ante prolatos inspicimus, nobis saepius verbum ‚faxo' cum Futuri forma coniunctum occurrit. Hoc demum Futuro in illis exemplis exstanti vim hortativam afferre perspicuum est. Sed quid valet ‚faxo'? Sunt, qui etiam nunc credant hanc vocem esse Futurum exactum. At tamen nihil rei est illi ‚faxo" cum hoc tempore, a quo et forma et usu abhorret, ut iam ab aliis recte est cognitum; sed ‚faxo' est forma archaica Futuri I. Atque eam primitus coniunctivum Aoristi fuisse cum Lübberto, qui de hac verbi forma similibusque disseruit (cf. „*Grammatische Studien I, Der Konjunktiv Perfecti und das Futurum erxactum im älteren Latein*", Breslau 1867) non minus credo quam cum plurimis grammaticis Graecis persuasum habeo Futurum Graecum in - so exiens itidem ad Aoristi coniunctivum referendum esse et de illa verbi forma Latina pariter esse iudicandum atque de hoc. Quod ut aliis verbis exprimam: quoad recedimus, scriptores linguae Latinae ‚faxo' ut tempus,

non ut modum adhibebant, ita ut non magis sentirent, quae esset origo illius formae, quam Graeci, unde ortum esset Futurum in - so exiens.

Hac in re Lübberti sententia et mea in diversum tendunt. Nam ille vir doctus de hac forma archaica similibusque ita iudicat, quasi Romani antiqui veram earum originem senserint.

Sed ut cognoscamus ‚faxo' nullam aliam esse formam nisi futuram ut ‚faciam' („ich werde bewirken") et idem significare quod hoc Futurum, perscrutemur singulos locos, quibus apud Terentium, quem solum hic respicimus, ‚faxo' exstat:

And. 854 *Chremes, iam facinus faxo ex me audies.* — Quid aliud nisi *‚faciam ex me audies'* valet illud *‚faxo ex me audies'* hoc loco, quo poëta parataxi utitur et nobis est vertendum: „Sofort werde ich es bewirken, daß Du die Tat von mir hörst", = „Du sollst sofort . . hören".

Eun. 285 *ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra* = „Fürwahr, ich werde es bewirken, daß Du vergebens . . anspringst" = „Du sollst . ." — 663 *iam faxo scies* = *iam faciam scies.*

Nihil autem miri in duabus Futuri formis iuxta se positis, si cogites etiam aliis locis Terentianis id inveniri, ut Heaut. 170 *ibo visam, si domist.* — 340 *ibo obviam huic dicam* . . Atque qua de causa ‚faxo' est appositum Futuris? Sine dubio ad gravitatem celeritatemque significandam, qua is, qui loquitur, rem certam facere vult, ut additamentum ipsum ‚iam' („sofort") in And. 854 et Eun. 663 docet. — Ad hoc conferas etiam Phor. 559 *iam feres* („sofort sollst Du's bekommen").

Sed ut rem exhauriamus, intueamur ceteros locos, ubi ‚faxo' occurrit.

Phor. 308 *iam faxo hic aderit* („sofort werde ich's bewirken, daß er kommt", — „sofort soll er da sein").

Atque eadem ratione Phor. 1055 *iam hic faxo aderit.* — Non aliter res se habet eis locis, ubi ‚faxo' est coniunctum cum Praesentis coniunctivo, ut

Ad. 847 *(Atque ibi favillae plena fumi ac pollinis) coquendo sit faxo et molendo* = . . *(ut) sit faciam.* („Ich werde es bewirken, daß sie beim Kochen und Mahlen voll von Asche, Rauch und Mehlstaub wird“ = „Sie soll . . werden.“) Pergit autem is, qui loquitur 847/8: ‚*praeter haec, meridie ipso, faciam ut stipulam colligat*‘ . . Quibus ex verbis (‚faciam, ut . . colligat‘) cui non apparet illud ‚sit faxo‘ positum esse pro ‚(ut) sit faciam‘?

Ad. 209 *Cupide accipiat faxo, atque etiam bene dicat secum esse factum* („Ich werde es bewirken, daß er es annimmt und sagt“ = „Er soll . .“)

Cum his locis compares Ad. 632 *ad illas ibo, ut purgem me.* Praeterea invenitur apud Terentium unus locus, quo ‚faxo‘ Accusativo Participii Perfecti Passivi adiunctum est; dico

Heaut. 341 *ademptum tibi iam faxo (= faciam) omnem metum* = „Ich werde Dir sofort alle Deine Angst benehmen.“ Referendum ergo est ‚ademptum‘ ad ‚omnem metum‘ neque quidquam mirabile habet haec structura, quoniam vulgo vox ‚facere‘, si valet: „zu etwas machen“, cum duobus Accusativis coniungitur.

Denique memorandus est unus locus, ubi secunda persona ‚faxis‘ occurrit; est autem hic:

Andr. 753 *verbum si mihi unum praeter quam quod rogo faxis: cave!* (‚Si faxis‘ = ‚si facies‘ = „wenn Du sagen wirst . .“)

In plerisque exemplis, ubi ‚faxo‘ invenitur, de fixis formulis agi manifestum est. Qua in re Plautum multum apud Terentium valuisse verisimile est. Sed poëta videtur mihi interdum ‚faxo‘ pro ‚faciam‘ non sine certa causa adhibuisse, ut Adel. 209 ‚cupide accipiat faxo, atque etiam . .‘, ubi ‚faciam‘ pro ‚faxo‘ substitutum non suave sonaret ‚*accipiat faci(am)atqu(e)etiam* . . ‘ et praeterea non cognosceretur formam esse Futurum; itemque in Adel. 847 ‚. . *coquendo sit faxo etmolendo*‘ ‚faciam‘ pro ‚faxo‘ collocatum ‚. . *faci(am)et*‘ aliter accipi posset atque est scriptum.

Quibus de illa voce expositis etiam de forma ‚faxim' disserere esse iucundum mihi videtur. Hanc formam esse optativum ad indicativum ‚faxo' pertinentem recte est cognitum (cf. Sommer, „Hdb. d. lat. Laut- und Formenlehre", p. 624/5), id quod ipsa illius ‚faxim' significatione demonstratur. Apud Terentium quidem huic verbi formae nulla alia vis est subiecta nisi optativa aut potentialis, quae est proxima optativae. Exstant loci hi:

Phor. 554 ne quid plus minus faxit (= faciat), quod nos post pigeat! („möchte er doch nicht etwas tun, was ..!")

Adel. 887 et 896 lubens bene faxim! („gern möchte ich Gutes erweisen").

Heaut. 161 utinam ita di faxint! („möchten es doch die Götter so einrichten!" = „gäb's der Himmel!"); itemque Hec. 102 ita di deaeque faxint! et

354 utinam istuc ita di faxint! —

Heaut. 198 *vereor..ne quid in illum iratus plus satis faxit (= faciat)* („ich fürchte, daß er etwas tut" = „möchte er doch nicht etwas tun!"). Dubitari non potest, quin omnia enuntiata particulae ‚ne' subiuncta, quae verba *metuendi, timendi, verendi* sequuntur, primitus — i. e. ea aetate, qua parataxis in lingua Latina vigebat — optativa aut potentialia fuerint; cf. And. 705 *dies hic mi ut satis sit, vereor, ad agendum* („möchte mir dieser Tag — ich bin so besorgt — zum Handeln genügen!" = „vielleicht genügt dieser Tag . . . nicht" = „ich fürchte, daß dieser Tag nicht genügt").

187 *cave faxis!* („hüte Dich! Du könntest es tun" = „tue es nicht!"). — Ex altera conversione ipsa „tue es nicht!" cognosciter illud ‚cave faxis' non solum Potentialem, sed etiam Iussivum intellegi posse. Neque ignotum est ‚faxis' vocem similesque formas archaicas a scriptoribus Latinis reapse ad Iussivum vel potius ad Prohibitivum designandum usurpatas esse, quamquam meo quidem iudicio natura tantummodo ad Optativum aut Potentialem significandum aptae erant (cf. exempla supra congesta). Quae res qua ratione explicanda est? Suspicor eo, quod ‚cave' crebrius — scilicet primitus paratactice — Futuri optativis archaicis

adiectum erat, factum esse, ut paulatim non iam sentiretur illum imperativum et illos optativos primitus paratactice iuxta se stetisse, sed ut ‚cave' in vim particulae prohibitivae ‚*nē*' declinaret. Qua re esse effectum puto, ut Latini Futuri optativum archaicum cum ‚cave' coniunctum denique non iam potentialem, sed potius iussivum interpretarentur atque ita etiam adhiberent. Sed ubi ‚cave' Futuri optativo archaico adiectum nihil nisi ‚nē' valuit, hanc vocem pro illa unoquoque loco iuxta Futuri optativum potentialem ut coniunctivum iussivum poni potuisse consentaneum est. (Rem non aliter in Perfecti coniunctivis cum ‚cave' aut ‚nē' coniunctis meo quidem iudicio sese habere non nisi obiter memoro.) Accedit mea quidem sententia, quod Romani antiqui veram originem talium formarum archaicarum, quales sunt *faxo* (cf. p. 29) et *faxim*, non penitus perspexerunt (cf. Cic. orat. § 154 et ad h. l. adnotationem Vollmeri in ‚Glotta', I, 1, p. 116 exstantem, contra quem recte, ut opinor, Niedermann dixit in Berl. Phil. Wchschr. 1908, Nr. 21).

Cognovimus igitur ex exemplis antea allatis voces *faxo* et *faxim* pro Futuro I Praesentisve coniunctivo optativo aut potentiali apud Terentium positas esse neque quidquam miri esse in earum usu. Pariter autem ceterae priscae formae in -so et in -sim exeuntes, ut ‚*dixo*', ‚*dixim*' etc. adhibitae sunt.

Sed revertamur nunc ad usum Futuri I sensum imperativi habentis, a quo profecti sumus. Haec autem vis non solum in simplici Futuri I forma statuenda est, sed etiam in circumlocutione huius temporis, i. e. in Participiis Futuri cum verbo auxiliari *sum* coniunctis. Quibus de formis cum postea continua oratione agere velim, hoc loco usum earum hortativum praeterire possum.

§ 3. Quam ob rem transeamus ad aliud Futuri I genus ubi hoc tempus pro Praesentis coniunctivo *dubitativo* sive deliberativo usurpatur. Atque etiam hic Futuri usus naturae huius temporis non repugnat, quoniam praeter id, quod omnino Praesentis coniunctivus et Futurum I cognatione coniuncta sunt, in interrogationibus deliberativis agitur de

re ad posterum pertinenti. Huc revocandi sunt hi loci Terentiani:

And. 383 *cedo igitur, quid faciam?* („was soll ich . . tun?") — Quamquam hoc loco dubitare possumus, utrum ‚faciam' sit Futurum I an Praesentis coniunctivus, ut etiam aliis locis in prima persona verborum coniugationum III et IV discerni non potest, Futurine formam habeamus an Praesentis coniunctivi dubitativi. Sed tamen si contulerimus And. 383 cum And. 389 *cedo quid iurgabit tecum hic?*, illo loco ‚faciam' esse Futurum I sumemus itemque ‚*dicam*' in And. 612 *nam quid ego nunc dicam patri? negabon velle me . . ?* („was soll ich . . sagen? soll ich sagen, daß ich nicht will . . ?") esse primam Futuri I personam propter sequentem vocem ‚negabon' credemus. Ad hoc conferas etiam Hec. 516 *perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo, misera?*

Praeterea exstant Futura dubitativa in exemplis his:

Heaut. 333/4 quid faciet sua? . . an dicetur . . ? („was soll er mit der Seinen machen? soll . . es heißen . . ?") — 708 qui ille poterit esse in tuto? dic mihi! („wie soll er in Sicherheit sein können?")

Phor. 219 Geta, quid nunc fiet? („was soll geschehen?") — 536 itane hunc patiemur, Geta, fieri miserum . . ? („sollen wir es dulden . . ?") — 694 quied fiet? — 917 nam quo redibo ore . . ? („mit welcher Miene soll ich zurückkehren?")

Hec. 668 sed quid faciemus puero?

His locis Futurum I pro usitato Praesentis coniunctivo esse adhibitum ita explicari posse existimo, ut is, qui loquitur, tantummodo cogitet, quid certo temporis futuri momento facturus sit, si id, quod metuit, ne fiat, fiet, ut in Hec. 516 mulier, quae ‚*quid viro meo respondebo*' dicit, de eo momento futuro solo cogitat, quo vir eam interrogabit. Sed haud scio an Terentius locis praecedentibus interdum metri causa unam pro altera verbi forma posuerit (cf. iterum Hec. 516, ubi ‚respondebo' in versus fine extat).

§ 4. Hoc autem mihi constare videtur poëtam nonnullis locis Futurum I pro Praesentis indicativo metro coactum substituisse; inter hos numero:

Adel. 72/3 ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit,
studet par referre, praesens absensque idem erit.

Libenter concedo Futurum I, ut saepe, hoc quoque loco ita nos interpretari posse: „man kann sich darauf verlassen, daß er derselbe bleibt" (‚*idem erit*, - scilicet - *si adiunxeris*'). Sed in eandem partem etiam Praesentia ‚*facit*' („man kann sich darauf verlassen, daß er . . tut") et ‚*studet*' („man kann sich darauf verlassen, daß er sich bemüht . . ") accipi possunt. Quae cum ita sint, poëtam sensui huius loci eodem modo satisfacturum fuisse credo, si ‚est' pro ‚erit' posuisset. Hanc autem verbi formam metrum non admisit. Quam ob rem Terentius quamquam ante bis Praesens adhibuit, tertio loco Futurum I collocavit in versus fine. Praeterea autem est cogitandum, ‚*erit*' cadere in eandem syllabam atque ultimum verbum versus 72 ‚*facit*'. Ac poëtam versus extremis syllabis consonantes adamare iam (p. 18) demonstratum est. Itaque hanc quoque causam adiuvisse ad Futurum I arcessendum puto.

Porro ‚*erit*' pro vulgari ‚est' mihi videtur usurpatum propter versus finem locis his:

Heaut. 1014 et Phor. 801: *sic erit*. — Est igitur substitutum ‚sic erit' pro ‚sic est'; compares nostrum: „so ist's" = „gewiß".

Eun. 732 *verbum hercle hoc verum erit* („das Wort bewahrheitet sich"). — Etsi Futurum, si rem spectamus, probari potest (cf. supra), existimo tamen propter diaeresin ‚erit' pro ‚est' hoc loco inveniri (cf. And. 426 *verum illud verbumst*). — Blase (p. 119) Futura illis locis occurrentia - mea quidem opinione sine gravi causa - in potentialem sententiam accipit (cf. etiam Sjögren p. 109 sqq.).

§ 5. Nonnumquam Terentius Futuro I ita utitur ut Praesentis indicativo, ut sententiam ad omnia tempora pertinentem exprimat. Vide

Adel. 55/6 nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem aut audebit, tanto magis audebit ceteros.

(Ad h. v. cf. Vahlen „Über die Versschlüsse in den Komödien des Terenz." Abhdlg. d. Berl. Ak. 1903 p. 44 sqq. et Kaueri adnotationem in appendice editionis Adelphorum.)

§ 6. Sed nunc accedamus ad Futuri I usum in enuntiatis condicionalibus. Exempla profero haec:

And. 409—411 crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
numquam hodie tecum commutaturum patrem
unum esse verbum, si te dices ducere.

712 huc fac ad me ut venias, si quid poteris. — 920 *si mihi perget, quae volt dicere, ea quae non volt audiet.* — Cum hoc loco conferas Adel. 181 *nam si molestus pergis esse, iam intro abripiere . .* Cur hic est positum ‚pergis', illic ‚perget'? Certe propterea, quod in And. 920 is, qui loquitur, absenti minatur; qua re actio pergendi cadit in remotius tempus; contra in Adel. 181 is, qui loquitur, minatur ei, qui adest; itaque actio pergendi hic pertinet ad tempus praesens.

Heaut. 730 *faciet, nisi caveo.* — Possis sumere eum, qui loquitur, cum ‚faciet' adhibet, de momento temporis futuri certo cogitare, cum autem ‚caveo' adhibet, de condicione a tempore praesenti usque ad illud certum temporis futuri momentum duranti („wenn ich mich von jetzt ab nicht vorsehe", cf. Plaut. Rud. 999 *nisi caves, geminabit).* Sed crediderim potius poëtam ‚caveo' pro ‚cavebo' propter caesuram adhibuisse.

865/6 *postremo etiam, si voles |, desponsam quoque esse dicito!* — Poëta cum hoc loco ‚voles' usurpat, refert actionem volendi ad id solum temporis futuri momentum, quo is, qui appellatur, dicet. Sed cum notio temporis futuri in ipso verbo ‚velle' insit (cf. p. 14), etiam fieri potest, ut Terentius ‚voles' pro ‚vis' versus finis causa substituerit.

Eun. 441—45 si dicet . ., si laudabit . ., referto! — 717 actumst, siquidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere.

Adel. 979—81 siquidem porro, Micio, tu tuom officium facies atque huic aliquid paulum prae manu dederis, unde utatur: reddet tibi cito.

§ 7. Etiam latius Futuri I usus patet in enuntiatis temporalibus.

a) Ac primum inspiciamus Futuri I cum particula ‚ubi' („sobald als") coniuncti exempla, qualia sunt:

And. 848 *ubi voles, accerse!* — cf. 976 . . *facturum, quae voles, scio esse omnia.* — In utroque exemplo certum tempus futurum spectatur, quo is, qui appellatur, volet.

Heaut. 754—56 verum ubi videbit | . . optabit.

Eun. 52/3 ubi pati non poteris . . venies. — 440/1 ubi nominabit | , . . tu . . continuo (sc. nominabis).

Adel. 119 ubi non erit, fortasse excludetur foras.

His locis (ab Heaut. 754 usque ad Adel. 119) magis statum tempore futuro durantem poëtam respexisse existimaverim quam certum futuri temporis momentum, quo actio (verbi causa *‚videndi'* in Heaut. 754) iam perfecta est, quod solum si respexisset, ei Futurum II pro Futuro I — in Heaut. 754 saltem et Eun. 440 (sed vide *‚continuo'* in v. 441) — ponendum erat. Sed licet nobis etiam putare Terentium in Heaut. 754 *(‚videbit'* ante caesurum!) et Eun. 440 *(‚nominabit'* ante caesuram!) metri causa unum Futurum pro altero adhibuisse (cf. caput de Futuro II).

b) Eadem dici possunt de Futuris I cum coniunctione ‚quom' („sobald als") coniunctis in

Phor. 695/6 *ceterum quom argentum repetent | , nostra causa potius ibit,* ubi ‚repetent' ante caesuram exstat;

Adel. 665—68 *quid illi tandem creditis fore animi misero, quom hanc sibi videbit . . eripi . . ?* quo loco ‚videbit' etiam ante caesuram invenitur.

Sed quod attinet ad

Hec. 575/6 simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius celare, quom sciet alieneum puerum tolli pro suo — et

769 sed quom tu satura atque ebria eris, ut puer satur sit facito!

Futurum I optime est usurpatum ideo, quia utroque loco agitur de verbo condicionem permanentem significanti (‚scire', ‚esse').

Ceteroquin nobis est credendum consecutionem temporum Futuri I et II Terentii aetate nondum tam accuratam exactamque fuisse quam aetate Ciceronis.

c) Praeterea exstat apud Terentium unum exemplum, in quo ‚quom' Futuro I adiectum valet: „da", „wo": dico

Adel. 384 *videre videor iam diem illum, quom hinc egens profugiet aliquo militatum.* — Recte est hic collocatum Futurum I.

d) Hoc dici potest etiam de duobus locis, quibus ‚quom' habet vim causalem; sunt autem hi:

Eun. 52 ubi pati non poteris, quom nemo expetet . venies.

Phor. 132 quom tu horum nihil refelles, vincam scilicet.

e) Denique Futurum I saepius invenitur in enuntiatis cum ‚dum' („solange als") coniunctis recte usurpatum:

Heaut. 106/7 ego te meum esse dici tantisper volo, dum quod te dignumst facies. — 136—38 nam usque dum ille vitam colet . . usque dabo. — 714 nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.

Phor. 583 tacebit, dum intercedet familiaritas.

Adel. 118 dabitur a me argentum, dum erit commodum. — 157 numquam, dum ego adero, hic de tanget.

§ **8.** Reliquum nunc est, ut disputem de circumlocutione Futuri I, id est: de Participiis Futuri Activi cum formis verbi auxiliaris ‚sum' coniunctis (cf. Sjögren, caput IV, p. 196 sqq.). De hoc circuitu loquendi Blase dicit (p. 271): „Für das alte wie klassische Latein muß man wohl genaue Unterscheidung der Umschreibung vom Futur annehmen." Quod minime convenit in Terentium, apud quem Futuri I

circumlocutio in eisdem sententiis adhibetur atque Futurum I simplex. Quam ad rem intellegendam exempla huc pertinentia scrutemur.

a) Ac primum quidem potestas voluntativa subiecta est his:

And. 724 quidnam incepturu's? („was willst Du beginnen?")

Heaut. 784 egon quoi daturus non sum, ut ei despondeam?

Eun. 462 ituran, Thais, quopiam es?

Phor. 480 mansurusque patruom pater est, dum huc adveniat . (cf. 481 ut aibat de eius consilio sese velle facere . .) — 550 quidnam facturu's? cedo! — 833 quidnam nunc facturust, Phaedria? — 835 vicissim partis tuas acturus est. — 837 nam potaturust apud me.

Adel. 389 eho, an domist habiturus?

b) Deinde vis dubitativa exstat his locis:

Adel. 730 quid nunc futurumst? („was soll jetzt geschehn?"); cf. Phor. 219 quid nunc fiet? — 694 quid fiet?

Phor. 137 quid te futurumst? — nescio. — 812 illa filia amici nostri quid futurumst?

c) Tum sensum imperativi habent hi loci:

And. 751 dictura es, quod rogo? („wirst Du sagen . . ?" = „sage!")

Eun. 696 monstrum hominis, non dicturu's? — 819 non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est? (cum hoc loco compares id, quod Horatius in sat. II, VII, 21 more prorsus comico scripsit: *‚non dices, hodie quorsum haec tam putida tendant, furcifer?‘)*

His exemplis sunt propinqua haec:

Heaut. 5 hodie sum acturus Heautontimorumenon („heute soll ich . . spielen"). — 15 orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.

Eun. 19 quam nunc acturi sumus . .

d) Praeterea inveniuntur loci, quibus nobis est vertendum: „voraussichtlich". Haec notio, quae in eodem contextu sermonis etiam Futuro I simplici inesse potest, Futuri I circumlocutioni subiecta occurrit in his exemplis:

Adel. 386/7 istuc est sapere, non, quod ante pedes modost, videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere.

Hec. 405 lacrumo, quae posthac futurast vita quom in mentem venit.

e) Denique est memorandum unum exemplum circumlocutionis Futuri I, quo simplex tempus futurum exprimitur; est autem hoc:

Hec. 739 nam si facis facturave es, bonas quod par est facere . . . („wenn Du das, was sich für brave Mädchen ziemt, tust oder tun wirst, dann wäre es . . . ").

Ex his, quae attuli, exemplis satis cognoscitur Futuri I circumlocutionem omnes partes simplicium Futuri I formarum apud Terentium suscepisse. Sed si quaesiverimus, cur poëta hoc circuitu loquendi usus sit, inveniemus eum nonnumquam circumlocutionem simplicis Futuri I loco metrica de causa adhibuisse, id quod maxime perspicuum est in Hec. 739, ubi mea quidem opinione Terentius ‚*factura . . es*' pro ‚*facies*' propter diaeresin substituit. Ac similiter res sese habere videtur in Adel. 730 (cf. contra Phor. 694) et Phor. 835.

Sed ne plura persequar, hoc est certum, apud Terentium nihil interesse omnino inter usum Futuri I et circumlocutionis huius temporis.

Caput IV.

De indicativo Perfecti.

§ 1. Primitus Perfecto tempore exprimitur rem esse perfectam et statum eius praesenti tempore permanere. Hoc tempus ubi ita usurpatur, vocamus Perfectum Praesens. Cuius usus praeter vulgaria exempla ‚*novi*', ‚*memini*', ‚*consuevi*', quorum numerus est maximus, apud Terentium inveniuntur haec:

Heaut. 147 decrevi („ich habe die Meinung gefaßt und habe sie nun“).

Phor. 801 comperi („ich hab’s erfahren und weiß es nun“). — 991 quid nunc obstipuisti? (= taces).

Adel. 169 nimium istuc abisti („zu weit bist Du weggegangen und bist nun zu weit“). — 539 audistine? („hast Du gehört und weißt Du nun?“); itemque Phor. 612. — And. 228 audivi.

Hec. 8 alias cognostis eius („Ihr habt kennen gelernt und kennt nun“). — 586 certo decrevi . . ne obstet („ich hab’s fest beschlossen, und nun ist es mein Wille“). — 607 quem . . habueris, accepi („ich hab’s erfahren und weiß es nun“).

Necque quicquam novi est in hoc Perfecti usu.

§ 2. At contra Terentius nonnullis locis Perfectum pro Praesenti videtur mihi posuisse; dico

Adel. 584/5 *De.: quid ibi facit? Syr.: Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.* Mea quidem sententia Syrus Demeae interroganti ‚quid ibi facit?‘ respondere debet ‚lectulos . . . faciundos dat‘. Sed sumpserit quis illud ‚dedit‘ ita esse interpretandum nostra lingua: „er hat sie bestellt“ (sc. und will nun sehen was geworden ist) aut Syrum cogitatione fingere actionem dandi esse perfectam. Equidem puto poëtam praecipue eo consilio ‚dedit‘ adhibuisse pro ‚dat‘, ut versus finem expleret. Atque eo libentius meo quidem iudicio Perfecto ‚dedit‘ usus est, quod hoc modo versus 584 et 585 extrema syllaba consonant (cf. p. 18).

And. 429/30 *quo aequior sum Pamphilo, si se illam in somnis quam illum amplecti maluit.* — Etiam hoc Perfectum ‚maluit‘ esse usurpatum pro Praesenti ‚mavult‘ arbitror, quoniam Pamphilus etiam tum, cum Byrria loquitur, ‚illam amplecti vult‘. Etiamsi fieri possit, ut Byrria, cum ‚maluit‘ adhibet, ad certum factum praeteritum spectet, tamen opinor Terentium propter versus exitum ‚maluit‘ pro ‚mavult‘ substituisse. — Denique in

Heaut. 886 *quid risisti?* poëtam Perfectum pro Praesenti ‚*rides*' posuisse existimo propterea, quod metrum (diaeresis) formam ‚rides' non admisit. Hic autem dicat quis eum, qui appellatur, ridere iam desiise. Sed praeterquam quod etiam Praesens rem, quae ad proximum tempus praeteritum pertinet, significare potest (cf. p. 6), Terentius re vera altero loco, quo res sunt eaedem atque in Heaut. 886, Praesens adhibet; dico

Eun. 497 *Gn.: Hahahae. Thr.: Quid rides? Gn.: Istuc, quod dixti modo.* — compares

Heaut. 886 *Ch.: Hahahae. Me.: Quid risisti? Ch.: Servi venere in mentem Syri calliditates.*

Sed agitur de versu iambico illic, de versu trochaico hic.

§ 3. Sed satis multa de hac re! Convertamus nunc animos ad praecipuum Perfecti usum. Hoc enim tempus Latinum aut ut Aoristum Graecum initium aut finem actionis aut totam actionem ab initio usque ad finem praeterito tempore factam exprimere posse omnes non minus sciunt quam huius rei causam esse, quod in lingua Latina Perfecti et Aoristi formae olim in unam confusae sint. Quo modo Perfectum Latinum etiam narrationis tempus factum est, quod Perfectum historicum appellamus.

a) Hoc maxime in enuntiatis temporalibus cum ‚postquam' („nachdem"), ‚ubi', ‚simul', ‚-atque', ‚ut' („sobald als"), ‚quom' („als", „da") coniunctis occurrit. Quae res cum plane usitata sit, singula exempla Terentiana huc referenda, quae sunt sescenta, proferre supersedeo.

Sed diligentius nobis sunt contemplanda ea enuntiata temporalia, in quibus particula ‚dum' („solange") Perfecto est adiuncta. Huc pertinent loci hi:

And. 188/9 dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suom; nunc hic dies aliam vitam adfert. — 443/6 dum licitumst ei . . dumque aetas tulit, amavit; . . . nunc uxore opust. — 832 incepi, dum res tetulit; nunc non fert.

Heaut. 987/8 dum istis fuisti solus . . , te indulgebant; nunc filia postquamst inventa . . .

Hec. 460 fuit, dum vixit. — 461 vixit, dum vixit, bene. — 594/5 dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum; . . haec mihi nunc curast. — 837 ego dum illo licitumst usa sum benigno et lepido et comi.

In his exemplis cum coniunctio ‚dum‘ sit notione „solange“ et indicet condicionem durantem, fortasse dixerit quispiam Imperfectum collocari debuisse; sed si locos inspicimus, semper fere Perfecto esse oppositum Praesens cognoscimus, id est: uni rei perfectae alteram durantem; poëta igitur actionem temporali enuntiato significatam animo cogitat confectam absolutamque. Iure ergo Perfectum est adhibitum in his exemplis.

Praeterea exstat unum enuntiatum, in quo ‚donec‘ („bis“) cum Perfecto coniunctum est:

And. 662 *orare, usque adeo donec perpulit.* — Hic Perfectum recte est usurpatum, quia eo actionis exitus exprimitur (cf. p. 41).

Quae res quadrat etiam in nonnulla enuntiata, in quibus ‚priusquam‘ („bevor“) occurrit:

Hec. 287 omne quod est interea tempus priusquam id rescitumst, lucrost. — 294 priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum. — 744 hanc priusquam duxit, vostrum amorem pertuli.

b) Saepius Perfectum apud Terentium invenitur etiam in enuntiatis relativis, in quibus plerumque Imperfectum ad simplicem rem praeteritam commemorandam adhiberi inter omnes constat. Qua de causa poëta Perfectum ponat ut cognoscamus, intueamur singulos locos:

Eun. 794/5 rogitas? quae mi . . coram amatorem adduxti tuom . . . et cum eo te clam subduxti mihi? — 944 o scelestum Parmenonem, qui istum hic adduxit.

Hec. 763 nunc quam ego te esse praeter nostram opinionem comperi, fac eadem ut sis porro.

And. 646 heu me miserum, qui tuom animom ex animo spectavi meo. — 927 is mihi cognatus fuit, qui eum recepit.

Vt ab ultimo ordiar exemplo, locutionem *,fuit, qui . . recepit'* esse circuitum simplicis *,recepit'* apparet. Atque simile quiddam de ceteris locis dici potest, quibus pronomina non habent integram vim relativam, sed in And. 646, Eun. 944, Hec. 763 causalem et in Eun. 794/5 concessivam. Minime igitur mirari possumus Terentium in illis enuntiatis relativis Perfectum adhibuisse. Sed haec sufficiant de Perfecto historico in enuntiatis secundariis usurpato.

§ 4. Pervenio nunc ad ea exempla, in quibus poëta Perfectum pro Imperfecto substituisse videtur. Atque in hac re agitur praecipue de verbi formis ,fui', ,volui', ,credidi' pro ,eram', ,volebam', ,credebam' adhibitis, Sed haec quoque Imperfecta saepe apud poëtam nobis occurrunt. Forte igitur credat quispiam Terentium prout rem describere aut factum absolutum narrare velit, modo Imperfecto modo Perfecto illorum verborum usum esse. Mihi autem hoc ita explicandum esse videtur, ut poëta plerumque id tempus posuerit, quod metro aptius erat. Cuius usus exempla cum sint permulta, omnia proferre longum est.

Itaque satis habeo singula eximere; conferas: Eun. 428 - Phor. 901, quibus locis *,credidi'* in versus fine exstat; contra Hec. 713 - Adel. 693, ubi *,credebam'* in medio versu invenitur.

Tum compares Hec. 6, ubi *,noluit',* And. 430 (cf. p. 40), ubi *,maluit'* in versus exitu occurrit; contra Heaut. 256 - Eun. 338, quibus locis *,volebam'* in medio versu reperitur.

Denique si Terentii fabulas legimus, hunc poëtam saepissime (vicies sexies) formas *,fui', ,fuit'* in versus fine posuisse. videmus; conferas

And. 303 attentus fuit. — 926 cognatus fuit.

Heaut. 55 quicquam fuit. — 216 nunc quae est, non quae olim fuit. — 265 animus te erga idem ac fuit. — 270 non fuit. — 817 daturus iam fui.

Eun. 97 faciundum fuit. — 134 fortuna adfuit. — 226 hoc nemo fuit. — 333 opus fuit. — 656 monstrum fuit. — 683 exornatus fuit. — 818 abii, audivit, ego non adfui. 1046 gubernatrix fuit.

Phor. 155 par fuit. — 391 cognatus fuit. — 530 sum aliter ac fui. — 908 par fuit. — 934 hoc vostrum consilium fuit.
Adel. 212 inter nos fuit. — 221 astutus fui. — 692 in te fuit. — 796 dictum hoc inter nos fuit. — 855 ad vitam fuit. — 967 adiutor fuit.

Quorum locorum nonnullis Perfecta ‚fui' et ‚fuit' syntactica de causa adhibita sunt optimo iure (cf. Heaut. 216. - 265; Eun. 818), plurimis poëta Imperfectis ‚eram' et ‚erat' pro illis Perfectis non minus recte, quod attinet ad rem syntacticam, uti potuit, si versus finis hoc ei permisisset (contra compares ‚eras' et ‚erat' sexies in versuum finibus collocata: Eun. 113 potis erat. — 345 nulla erat. — 621 tempus non erat; Phor. 768 id sat erat. — Adel. 345 ei dos erat. — 901 tu hic eras?).

Sed necessarium est e locis supra commemoratis duos contemplari accuratius; sunt autem hi:

Eun. 333 *nisi nunc, quom minime vellem minimeque opus fuit.* — Hic Terentium ‚fuit' pro ‚esset', quae verbi forma lege grammatica propter praecedens ‚vellem' postulatur, versus finis causa substituisse elucet.

Similiter quidem, sed tamen aliter res se habet in

Phor. 155 *quod ni fuissem incogitans, ita exspectarem, ut par fuit.* — Hoc loco ‚fuit' pro ‚est' esse positum in versus exitu mihi videtur; nam mea quidem sententia ita locus interpretandus est: „Wäre ich (damals) nicht unbedachtsam gewesen, würde ich (jetzt) so (den Vater) erwarten, wie es schicklich ist (wäre)", neque vero „wie es schicklich gewesen ist (gewesen wäre)" (conferas autem locutionem Graecam: καλὸν ἦν: „es wäre geziemend", „es wäre geziemend gewesen").

Sed recte est adhibitum in versus fine *‚uti par fuit'* in Phor. 908. Quam locutionem germanice, ut iam indicavi, plerumqe reddimus: „wie es schicklich (billig) gewesen wäre".

Hic Perfecti usus haud raro invenitur apud Terentium etiam in verbis ‚oportere', ‚posse' etc.; compares Adel. 215 qui potui? — 295 . . fieri potuit. ‚Oportuit' plerumque in versus fine occurrit; cf. And. 238. - 239; Heaut. 200. - 635; Eun. 981; Phor. 70; Adel 214. - 672, ‚oportebat' in medio versu: Heaut. 536.

§ 5. Sed satis de hac re! Transeamus nunc ad ea Perfecta, quibus est adiecta particula ‚paene'; quae res invenitur apud Terentium locis his:

And. 782 iocularium in malum insciens paene incidi. — 822 paene inlusi vitam filiae.

Heaut. 814 quam paene tua me perdidit protervitas.

Talibus locis vertimus: „fast hätte ich . . " abundanter praeter necessitatem; nam voce ‚paene' actio irrealis satis exprimitur. Sed cum hoc Perfecti genus apud omnes auctores non raro occurrat, id diligentius tractare supervacaneum est.

§ 6. Denique pauca dicam de quadam quasi circumlocutione Perfecti historici. Nam ubi Terentio simplex Perfectum ad rem ineuntem significandam non sufficit, forma ‚coepi' cum Infinitivo Praesentis coniuncta utitur. Hoc modo actionis initium cum multis aliis locis tum his designat:

Heaut. 99/101 coepi . . tractare.

Phor. 111 amare coepit. — 867/8 animam compressi; aurem admovi; ita animum coepi attendere.

Hec. 37 coepi uti . .

Hic mentio fiat Infinitivi qui vocatur historici (cf. Wölflin: Arch. f. lat. Lex. X, p. 177 sqq.; Jänicke: N. J. f. Phil. 1895, v. 151, p. 134 sqq.), cuius initium quin ab illo ‚coepi' aut simili Perfecto (cf. And. 660—62 *numquam destitit instare („unablässig drängte er"), ut dicerem me ducturum patri; suadere („er riet"), orare („er bat") usque adeo donec perpulit)* cum infinitivo Praesentis copulato profectum sit, mihi quidem non est dubium.

§ 7. Postremo autem loco commemoro Perfectum pro Futuro adhibitum (cf. Sjögren, p. 24 sqq.), quod invenitur saepissime apud Terentium in his vocabulis: ‚perii', ‚disperii', ‚occidi', ‚actumst'. Ex his formis qui unam usurpat, fingit actionem pereundi tanta et gravitate et alacritate, quasi iam sit perfecta, non quasi cadat in tempus futurum. Huc referendum est etiam:

And. 961 nam mi immortalitas partast, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.

Hunc Perfecti usum sermonis cottidiani proprium esse apparet.

Caput V.

De indicativo Plusquamperfecti.

Hoc tempore significatur rem esse certo temporis praeteriti momento perfectam.

§ 1. Quae est natura Plusquamperfecti, consentaneum est id plerumque ad aliquod Perfectum aut Imperfectum referri.

Atque hic usus maxime elucet in enuntiatis cum particulis ‚ubi', ‚ut', ‚si quando', ‚quom' („so oft") coniunctis. Cuius rei exempla Terentiana sunt haec:

Eun. 403/4 tum sicubi eum satietas hominum aut negoti si quando ceperat . . . me abducebat.

Hec. 130 ubiquomque datum erat spatium solitudinis . . . (sc. aibat). — 181 si quando ad eum accesserat . . ., fugere. — 802/3 ut quisque venerat, accedebam.

Sed uno loco, quo ‚ubi' valet: „sobald", Terentius item Plusquamperfectum posuit, quamquam omnibus fere ceteris locis (cf. And. 174 - Heaut. 99 - Eun. 116 - Phor. 866 - Hec. 522 - Adel. 618) ‚ubi' („sobald") cum Perfecto coniunxit; dico

Phor. 573 *quid illi tam diu . . commorabare, ubi id audieras?* Sed si hoc exemplum accuratius inspicimus, Perfectum hic a poëta ad versus finem accommodari non potuisse videmus; nam quod actio ‚audiendi' actioni ‚commorandi' praecedit, aliis locis Terentianis, quibus ‚ubi' („sobald") invenitur, haec res nullius momenti est.

Paulo aliter res se habet in

Adel. 618 *nam ut hinc forte ad obstetricem erat missa ubi eam vidi, ilico accedo.* Hoc loco Terentium ‚ut' („sobald als") cum Plusquamperfecto coniunxisse videmus, sed meliore iure meo quidem iudicio quam in Phor. 573;

nam hic agitur de tribus actionibus praeteritis, quas poëta etiam temporibus inter se distinguere vult, ita ut prima actio sit *mittendi* (‚missa erat'), secunda *videndi* (‚vidi'), tertia *accedendi* (‚accedo' = Praes. hist.).

Huc hunc quoque versum refero probata coniectura Dziatzkoniana:

Hec. 378 *iam ut limen exieram, ad genua accidit . . misera.* Hoc loco codices praebent *‚exirem'*, quia auctores eorum illud ‚ut' inepte intellexisse videntur coniunctionem „daß" illud ‚ad genua accidit' (= verbum precandi) sequentem. Quem coniunctivum Blase codicum lectionem sequens in numero Potentialium rem praeteritam significantium habet. Sed quid viri docti iudicio sibi vult ‚ut limen exirem'? An: „Sobald („wie") ich hätte über die Schwelle gehen sollen"? Hanc interpretationem probare nullo modo possum. Immo vero ita vertendum esse puto: „Schon wie ich über die Schwelle hinausgetreten war (aut „Kaum war ich noch . ."), warf sich die Arme vor mir auf die Kniee." Quod si ita esse sumimus, Dziatzkonis emendationem tam lenem quam necessariam agnoscere debemus. Ac si ‚exirem' recte est correctum in ‚exieram', nihil scilicet impedit, ne quis credat hoc loco ‚exieram' pro ‚exii' esse positum metri (incisi) causa, et id propterea, quod omnibus fere ceteris locis Terentius ‚ut' („wie", „sobald als") ad Perfectum adiunxit (cf. And. 590 - Heaut. 402 - Eun. 782 - Phor. 617 - Hec. 345 - 365/6 - 752; p. 41). Optime autem Hec. 378 comparari potest cum Plaut. Bacch. 957 *nam dudum primo ut dixeram* | (ante diaeresin!) *nostro seni mendacium et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli* („Kaum gesagt . . ."; cf. Rodenbusch p. 36). Et hic et illic haud scio an etiam ita res se habere possit, ut poëtae quam clarissime, ut indicat utroque loco ‚iam', exprimere voluerint unam actionem perfectam fuisse, cum altera facta esset, quas ad actiones temporibus inter se distinguendas Plusquamperfectum et Perfectum aptissime adhibentur.

Porro exstant duo loci, quibus Plusquamperfectum sequitur particulam ‚postquam'; sunt autem hi:

And. 177/8 qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo, numquam quoiquam nostrum verbum fecit.

Phor. 908/9 nam omnis posthabui mihi res, . . . , postquam id tanto opere vos velle animadvorteram | (in versus fine!).

In his exemplis ‚postquam' significat: „seitdem", quam ob rem Plusquamperfectum iure adhibitum mihi videtur. Atque etiam his locis Plusquamperfectum attinet ad Perfectum.

§ **2.** Sed ut capitis initio dixi, Plusquamperfectum plerumque ad alterum tempus praeteritum refertur. Hoc autem praecedere aut succedere illi potest.

a) Ac primum quidem inspiciamus ea exempla, in quibus Plusquamperfectum antepositum est, id quod crebrius apud Terentium occurrit:

Heaut. 786/7 et ego hoc, quia dudum tu tanto opere suaseras | , eo coepi.

Phor. 781 praesens quod fuerat malum, in diem abiit.

Eun. 125 interea miles, qui me amare occeperat | , in Cariamst profectus. — 417 *iugularas hominem; quid ille (sc. dixit)?* Hunc locum Blase in numero eorum exemplorum ducit, de quibus dicit (p. 224): „Von diesen (sc. Bedingungssätzen, deren Apodosis Verba des Anfangens, Vorbereitens, Versuchens usw. bilden) sind wohl zu unterscheiden die konjunktivischen Bedingungssätze, deren Apodosis einen Ind. Plusqupf. mit rhetorischem, interjektionsartigem Charakter enthält"; et ad Eun. 417 praeterea adnotat (p. 225): „Ähnlich, ohne Protasis". Neque tamen ullam equidem vim condicionalem in hoc exemplo invenire possum, quod potius ita esse interpretandum censeo: „Durch Deine Worte hattest Du ihn (gleichsam) vernichtet. Was sagte er darauf?" Pertinet igitur ‚iugularas' ad supplendum Perfectum ‚dixit', cuius actioni praecedit actio ‚iugulandi'.

Hec. 297/8 *vix me illim abstraxi atque impeditum (!) in ea expedivi (!) animum meum, vixque huc*

contuleram | : *em, nova res ortast.* Hoc autem in exemplo quo modo varietas temporum: ‚vix . . abstraxi atque . . expedivi . . vixque . . contuleram' explicari potest? Hic cogitet quispiam de metri necessitate. Meo quidem iudicio Terentius Perfectis ‚abstraxi' et ‚expedivi' simplicia facta narrare voluit, cum Plusquamperfectum ‚contulerat' referret solum ad ‚nova res ortast'. Quae si ita sunt, hic agitur de quadam laxa parataxi.

Huc spectare etiam hos locos opinor:

And. 239/40 *uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit praescisse me ante?* Revocatur ‚decrerat' ad ‚praescisse' (sive ‚oportuit'), ita ut prima sit actio *decernendi* (Plusqpf.), secunda *praesciscendi* (Perf.), tertia *dandi* (Praes. aut potius Fut., cf. And. 353 *ait dare* (in versus fine = daturum esse); Heaut. 724 *dare pollicitust;* Eun. 793 *dixtin . . dare te;* Eun. 520 *sperat se . . avellere* (in versus fine!); 920 *spero me habere* (ante caesuram!); Plaut. Most. 663 etc.; vide p. 14).

Heaut. 601/2 Huic drachumarum haec argenti mille dederat mutuom. Ch.: Quid tum? Syr.: Ea mortuast. (Prius dederat quam mortuast.) — 660/1 Ch.: Vivitne illa, quoi tu dederas? So.: Nescio. Ch.: Quid renuntiavit olim? So.: Fecisse id, quod iusseram. | (Prius illa dederat quam haec renuntiavit; prius illa iusserat quam haec fecit.)

b) Tractandi nunc sunt ei loci, quibus Plusquamperfectum alteri tempori praeterito, ad quod est referendum, succedit, ut iam in Heaut. 661 fieri vidimus. Praeter hunc locum id pertinet ad exempla haec:

And. 183 *erus est, neque provideram.* | Quamquam Perfectum hic non est expressum, tamen inest in Praesenti ‚est', quod eandem rem declarat atque Perfectum ‚advenit', ita ut hic locus sit accipiendus hoc modo: ‚priusquam erus advenit, non provideram eum advenire posse' („der Herr ist gekommen; vorher hatte ich an seine Ankunft nicht gedacht"). — 732/3 sponsae pater intervenit. Repudio, quod consilium primum intenderam. | (Prima

actio est *intendendi* (Plusqpf.), secunda *interveniendi* (Perf.), tertia *repudiandi* (Praes.).

Eun. 342/3 quom huc respicio (= Praes. hist.) ad virginem, illa sese interea commodum huc advorterat. | (Prius virgo se . . advorterat quam ille respexit.) — 451 bene dixti, ac mi istuc non in mentem venerat. | (= ‚Priusquam dixti, mi istuc non in mentem venerat.') — 855/6 Ch.: Hanc metui, ne me criminaretur tibi. Th.: Quid feceras? Ch.: Paulum quiddam. (‚Feceras' refertur ad ‚metui'; nam Chaerea metuit, quod fecerat ‚paulum quiddam.')

Phor. 422/3 Tuos est damnatus gnatus, non tu; nam tua praeterierat ad ducendum aetas. (= ‚Priusquam tuos est damnatus gnatus, — aut: ‚tum, cum causa agebatur' — tua praeterierat ad ducendum aetas'.) — 913/4 Ferme eadem omnia (sc. dehortatus est), quae tute dudum coram me incusaveras. | (= ‚Prius tu me incusaveras quam ille dehortatus est.')

Hec. 368 omnes ilico laetae exclamant (= Praes. hist.) ‚venit', id quod me repente aspexerant. | (Prius aspexerant quam exlamaverunt.)

c) Interdum autem Praeteritum ad Plusquamperfectum spectans verbo non est expressum, sed ex contextu facile erui potest, quae res mea quidem sententia quadrat in exempla haec:

Heaut. 866 em, istuc volueram | (sc. priusquam dixisti). 500/1 ibo ac dicam, ut dixeram | (sc. priusquam tecum, Menedeme, collocutus sum) operam daturum me, hodie non posse eis dare.

Eun. 429 audieras (sc. priusquam dixi)?

Phor. 613 tun dixeras huic (sc. priusquam adveni)? cf. And. 183. — 893 quo me adsimularam ire ad mercatum (sc. priusquam de illa re audivi cf. v. 884 sqq.), non eo.

Hec. 712 id ego hoc praesente tibi nolueram dicere (sc. ‚priusquam abiit', id quod etiam verba ‚hoc praesente' continent). — 863 nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram: | perliberalis visast. (Vt verba ‚ante hunc diem' et ‚perliberalis visast' indicant.

res hic ita sese habet: ‚Hoc die eam vidi et perliberalis visast, prius non videram.‘) — Cum hoc loco compares

Eun. 1029/30 Perii: quid hoc autem malist? Hunc ego numquam videram etiam: quid nam hic properans prosilit? (Hic quoque ‚videram‘ pertinet ad supplendum Perfectum ‚vidi‘ = ‚Hunc - quem modo vidi, prius - numquam videram.‘)

§ 3. **a)** Exstant autem alia exempla Terentiana, in quibus Plusquamperfectum non tam iusto iure esse usurpatum mihi videtur quam locis adhuc commemoratis, ut

Heaut. 329/30 tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via, quod ut efficerem orando surdas iam auris reddideras mihi.

Hec. 142 ille invitus illam duxerat.

Phor. 594 vixdum dimidium dixeram, intellexerat (vide infra!). — 814 sic pol commodius esse in omnis arbitror quam ut coeperas, manere hanc.

Vno excepto — dico ‚dixeram‘ in Phor. 594 exstans — in omnia haec Plusquamperfecta exemplorum modo allatorum ea, quae p. 48 exposui, non cadunt. Quae autem causa poëtam impulit, ut his locis Plusquamperfectum sumeret, non Perfectum, quod proprie erat ponendum?[1]) Praecipue metrica ratio valuit, ut opinor, et ea quidem eo magis, quod in omnibus exemplis Plusquamperfectum in versus exitu collocatum est, quae res etiam ad plurimos (circiter XV) ceterorum locorum adhuc congestorum pertinet, nisi quod nonnulla Plusquamperfecta etiam in caesura aut in diaeresi (circa IV) inveniuntur. Sed hoc huius temporis genus, quod adhibere Terentius quadam ex parte meo quidem iudicio metro coactas est, nescio an usitatum fuerit in sermone vulgi, quem poëta illis locis imitari voluisse puto, ut in nostro quoque sermone cottidiano non raro Plusquamperfectum adhibetur, ubi Perfectum locum suum habet. Haec mea sententia confirmatur eo, quod plurimis locis,

---

[1]) Ad hunc Plusquamperfecti Latini usum etiam Meyer-Lübke in „Grammatik der romanischen Sprachen“, III, p. 139 animos legentium advertit.

quibus Plusquamperfectum non optimo iure usurpatum videtur, agitur de hominibus de plebe, ut in Heaut. 330 - Hec. 142 - Phor. 594 de servis. Sed quod attinet ad Phor. 594, poëtam Plusquamperfectis coniunctis fortasse eum, qui loquitur, exprimentem facere voluisse actionem ‚dicendi‘ et ‚intellegendi‘ in idem fere temporis praeteriti momentum cecidisse concedo.

b) Praeterea autem occurrunt duo loci apud Terentium, quibus ‚noram‘, quam Plusquamperfecti formam sensum Imperfecti habere notum est, pro ‚novi‘ (= Praesens, quod attinet ad vim) substituisse mihi videtur; sunt hi:

Phor. 941/2 *hic quandam noram, quoius vir uxorem .. Lemni habuit.* Is, qui loquitur, hoc loco dicit: ‚noram‘, quamquam hoc temporis momento, quo loquitur, illam ‚quandam‘ novit, ut elucet e versu 944 *haec adeo ego illi iam denarrabo.* — Ac similiter

And. 501/2 *Da.: Nam qui tibi istaec incidit suspicio? Si.: Qui? quia te noram.* Atque etiam hic is, qui loquitur, eum, quem appellat, novit praesenti tempore. cf. v. 503 *Da.: Non satis me pernosti etiam qualis sim, Simo.*

His locis poëta voce ‚noram‘ propterea mea quidem opinione utitur, quod hanc ad certam rem praeteritam referre vult, hic ad: ‚nam qui tibi istaec incidit suspicio?‘, illic ad ‚Lemni habuit aliam‘. (cf. caput de Imperfecto § 7.)

§ 4. Ceteroquin dici potest apud Terentium usum Plusquamperfecti et Perfecti artissimis finibus non esse circumscriptum, id quod etiam saepius apparebit ex eis locis, quos nunc pertractaturus sum. Agitur autem de formis ‚fueram‘, ‚fueras‘ etc.

a) Ac primum quidem accedamus ad ea exempla, in quibus illae iure usurpatae mihi videntur; sunt autem haec:

Phor. 651 ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere.
Adel. 686 virginem vitiasti, quam te non ius fuerat tangere.

His locis sequor sententiam Hauleri dicentis (in adn. ad Phor. 651): „‚Aequom fuerat' im Plusquamperfekt, indem die dem ‚volui' vorausgehende Erwägung des ‚aequom' berücksichtigt wird. Ebenso Adel. 686." Interpretandi igitur sunt loci ita:

Phor. 651 „Bevor ich sie heimführen wollte, hatte ich's mir überlegt, daß es billig sei, sie zu heiraten."

Adel. 686 „Bevor Du die Jungfrau entehrtest, hättest Du Dir es überlegen müssen, daß Du kein Recht hattest, sie zu berühren."

Pari modo explicare velim:

Eun. 868—70 ita conturbasti mihi rationes omnes, ut eam non possim suis ita, ut aequom fuerat atque ut studui, tradere (= „Meine Überlegung war gewesen: das Mädchen den Seinigen zu übergeben, wie es recht sei (aequom fuerat); daher wollte ich es auch so tun (studui); Du aber . . ").

Hec. 284 quanto fuerat praestabilius ubivis gentium agere aetatem quam huc redire (= „Bevor ich hierher zurückkehrte, hätte ich es mir überlegen sollen, daß es um vieles besser sei . . "). — 561 aderam, quoius consilio par fuerat ea prospici (= „Bevor Du etwas unternahmst, hättest Du daran denken können, daß ich da war, dem es oblag"). — 867 hic quos fuerat par resciscere, sciunt (= „Diejenigen, welche es, wie ich es mir überlegt hatte, wissen mußten, haben es erfahren").

Denique etiam Hec. 570/1 *‚hoc mi unum ex plurimis miseriis relicuom fuerat malum, si puerum ut tollam cogit'* huc referendum esse crediderim, quamquam ‚fuerat' vim Futuri temporis habere videtur hoc loco, quo agitur de re ficta, non facta, quae tempore futuro fieri potuit. Rem autem hic ita esse iudico: Myrrhina a Phidippo marito se iam esse coactam puerum tollere cogitatione fingit. Priusquam autem est coacta puerum tollere, ‚hoc reliquom fuerat malum' (cf. nostrum: „Das hätte noch gefehlt").

Itaque cum Blaseo facere non possum, qui omnibus locis a me sub § 4 a collectis formas ‚fueram', ‚fuerat' esse positas pro ‚fui', ‚fuit' aut ‚eram', ‚erat' dicit (p. 218 – 223).

Rectius autem mea quidem opinione dici potest talem ipsum usum Plusquamperfecti, qualem modo tractavi, causam esse potuisse, cur fieret denique simplex tempus praeteritum, ut est in exemplis sub § 3a allatis.

b) Sed hic in quaestionem veniunt nunc ei loci, quibus Terentius formas ‚fueram' etc. re vera substituit pro ‚fui' etc. aut ‚eram' etc. Quae plerumque sunt coniunctae cum Participiis ut formae ‚fui' etc. (cf. p. 43/4). Compares

Phor. 535/36 *quod, hic si pote fuisset exorarier triduom hoc, promissum fuerat.* Hoc autem loco etiam habemus mea quidem sententia ellipsin: deest enim irrealis apodosis enuntiati condicionalis, quae possit esse haec: ‚accepisset' (= ‚quod, hic si pote fuisset exorarier triduom hoc, (argentum) accepisset; nam promissum erat').

Phor. 400/1 tum id si falsum fuerat, filius quor non refellit?

And. 543 ita uti nuptiae fuerant futurae, fiant. — 587 non fuerant nuptiae futurae.

Eun. 280 fortasse tu profectus alio fueras. — 569 erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi.

Hec. 640 nam abducta a vobis praegnas fuerat filia. — 648/9 etiam si dudum fuerat ambiguom hoc mihi, nunc non est.

Exemplis prolatis disquirendum est, cur poëta in his Plusquamperfectum verbi auxiliaris ‚esse' pro Perfecto aut Imperfecto usurpaverit. Sed videamus primum, quid Blase de hoc loquendi usu dicat (p. 218): „Das ist nach meiner Erklärung eine Kombinationsausgleichung von ‚fui' und ‚eram'. Diese Möglichkeit, im gegebenen Falle sowohl ‚fui' wie ‚eram' zu gebrauchen, führte bei der Schnelligkeit des Sprechens zu der Anwendung von ‚fueram', wo es logisch unberechtigt war." Qua de explicatione haec habeo, quae dicam: Primum si hoc ipsum concedatur ‚fueram' ita, ut Blase velit, effectum esse, id est cogitandum, hoc facile in prima persona sumi posse, minus autem in tertia (fuit -

erat = fuerat?) atque minime in ceteris personis (fuisti - eras = fueras? — fuimus - eramus = fueramus? — fuistis - eratis = fueratis? — fuerunt - erant = fuerant?). Atqui omnes fere formae occurrunt! An Blase cogitat, quod attinet ad ceteras personas, de analogia, de qua hic mea quidem sententia nullo modo potest cogitari? Tum quo modo vir doctus formam ‚fuero' pro ‚ero' saepius a Terentio aliisque adhibitam explicare in animo habet? Si sibi constare vult, dicere debet eam esse confusam e formis ‚fui' et ‚ero', id quod sane fieri numquam potuisse luce clarius est. Quid autem multa? Non credo illud ‚fueram' cum Participiis copulatum ita ortum esse, ut Blase dicit. Recte autem hic vir doctus facit, quod hunc usum formarum ‚fueram' etc. sermoni vulgi ascribit (cf. § 3a). Sed ubi Terentius illas adhibet, apud eum in primis ratio metrica valet, quae maxime perspicua est in Eun. 280, quo loco ‚fŭeras' est positum in versus fine, et in Phor. 536, ubi ‚fuerat' invenitur ante diaeresin; sed etiam ceteris locis metri necessitas elucet, ut in Phor. 400 et Hec. 640 ‚fuerat' paenultimo versus loco, in Hec. 648 ‚fuerat' in caesura, in And. 587 ‚fuerant' in versus initio necessario sunt collocata. Ad metricam autem causam videtur mihi accedere nonnullis locis rhetorica (cf. allitterationem in And. 543 - 587; Eun. 280 - 569; Phor. 400/1; Hec. 640).

Sed hae sunt causae exteriores. Quae autem est causa interior formarum ‚fueram' etc. pro ‚eram' aut ‚fui' adhibitarum? Putet quis originem aut etymon illarum formarum in causa esse. Sed quo modo rem hac via aggrediamur, nescio. Fortasse autem alia via prope ad veram rei causam accedere possumus. Vt enim iam antea est commemoratum, formae ‚fueram' etc. plurimis locis coniunctae sunt cum Participiis Perfecti Passivi aut Deponentium. Constat autem inter omnes haec Participia interdum sensum aut Participii Praesentis (cf. ‚confisus' = „vertrauend") aut Adiectivi (cf. ‚suspectus = „verdächtig", ‚paratus' = „bereit") aut Substantivi (cf. ‚dictum' = „das Wort", ‚factum' = „die Tat") habere. Quid igitur impedit, quominus sumamus etiam plurimis locis, de quibus hic agitur, Participiis notiones aut

Adiectivi aut Substantivi subiectas esse?[1]) Quam rem respiciens compares nunc:

Phor. 536 *promissum fuerat:* „Das „Versprechen" hatte dahin gelautet." — 400/1 *si falsum* (‚falsus' autem quam anxie Adiectivi naturam servet, Participii respuat, omnes scimus) *fuerat, filius quor non refellit?:* „Wenn er eingesehen hatte, daß es falsch (eine Fälschung) sei, warum hat er die Fälschung nicht zurückgewiesen?" (respice etiam figuram annominationis: ‚falsum' - ‚refellit'!)

And. 543 et 587 *nuptiae fuerant futurae,* quibus locis ‚futurae' idem valet atque ‚constitutae': „Die Hochzeit war angeordnet gewesen."

Eun. 280 *profectus alio fueras:* „Du warst einer gewesen, der wo anders hinging, = hingehen wollte" (cf. ‚inde profectus': „davon ausgehend"; ‚profecti ab Aristotele': „Schüler des Aristoteles"). — 569 *mercatus fuerat:* „Er war der Käufer gewesen."

Hec. 640 *abducta a vobis praegnas fuerat:* „Als sie von Euch wegging (= die von Euch Weggehende), war sie schon schwanger gewesen."

Cum Phor. 536 autem conferas Adel. 796 *dictum hoc inter nos fuit* (vide p. 44): „Das ist unsere Verabredung gewesen."

c) Restat unum exemplum, in quo ‚potuerat' invenitur, quamquam ‚potuit' aut ‚poterat' lege et grammatica et logica hoc loco postulari videtur. Est autem

And. 691 *quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset.* Hic affirmaverit quispiam locutionem ‚potuerat quiesci' poëtam posuisse pro forma non usitata ‚quietum esset', qua, si nostra lingua utimur, exprimere voluisset: „Wie leicht hätte man seit jeher (= seitdem sein Treiben begonnen; cf. ‚si hic quiesset') bis jetzt Ruhe gehabt, wenn dieser (damals) geruht hätte!", id quod

[1]) Qua de re idem sentit Brugmann, qui commentatione ephemeridi Idg. Fsch. V, p. 89—152 inserta vim atque naturam Participiorum Latinorum in -to exeuntium optime explanavit (ad h. l. cf. p. 109).

differret nihil fere a significatione illius ‚potuerat quiesci' („Wie leicht hätte man . . können!"). Equidem cum existimem hoc loco rectius vertendum esse: „Wie leicht konnte man (sc. von da an bis jetzt) davor Ruhe haben!" mihi persuasi ‚potuit' aut ‚poterat' hic suum locum habere et Terentium unam alteramve formam metri causa non sumpsisse.

Sed fortasse hoc exemplum etiam idoneum est, quo demonstretur Plusquamperfectum iam aetate Terentii partes simplicis temporis praeteriti suscepisse. Quod etiam planius facere mihi videtur, ut non iam dicam de locis p. 51 commemoratis, Hec. 648 (vide p. 54 et respice formam ‚fuerat' ante caesuram positam!), ubi vox *‚dudum'* verbis *‚fuerat ambiguom hoc mihi'* adiecta mea quidem opinione rationem psychologicam Plusquamperfecti pro Perfecto aut Imperfecto adhibiti indicat. His verbis quid dicere velim, exponam: Vt satis est probatum, Plusquamperfectum natura atque vi est tempus praeteritum semper ad alterum pertinens ideo, quod eo significatur res facta, quae alteri rei factae praecedit. Quae cum ita sint, meo quidem iudicio cum notione Plusquamperfecti multo magis quam alterius temporis sensim et paulatim notionem eius temporis se coniungere consentaneum est, quo exprimatur rem cadere in tempus praeteritum longius remotum. Quomodo Plusquamperfectum quamquam primitus est tempus praeteritum relativum, fit denique tempus praeteritum simplex et absolutum, ut est Perfectum. Ita autem sese habet Plusquamperfectum, ut opinor, iam apud Terentium. Atque hunc usum Hec. 648 voce ‚dudum' („lange"; de significatione vocabuli ‚dudum' cf. Langen „Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus". Leipzig 1880, p. 34 sqq.) declarari supra dixi. Qua de causa? Propterea mea quidem sententia, quod is, qui loquitur, cum illam vocem adhibet, animo effingit rem, de qua agatur, pertinere ad remotius tempus praeteritum.

Hoc sane non omittendum est Terentium illo loco propter metrum neque ‚erat' neque ‚fuit' ponere potuisse.

Caput VI.

De Futuro exacto.

Futurum II e Perfecti coniunctivo fluxisse et ad rem futuro tempore perfectam exprimendam adhiberi notum est. Cum formae illius modi et huius temporis cognatione inter se contineantur, etiam significationes earum interdum inter se contingere non mirum est. Sed de hac re plura in Perfecti coniunctivo tractando!

§ 1. Aggrediamur praecipuum usum Terentianum Futuri II (cf. Sjögren, p. 133 sqq.). Apud hunc enim poëtam Futurum II persaepe occurrit substitutum pro Futuro I, quin etiam nonnunquam pro Praesenti. Cuius usus explicatio unde plurimis locis est petenda? Si usquam, certe in hoc genere dicendi ex metri necessitate (cf. A. Brock l. c. p. 89/90). Haec mea sententia his argumentis nititur:

Primum Futurum II pro Futuro I usurpatum invenitur plerumque in extremo versus loco aut ante caesuram, eis igitur locis, quibus poëtam saepissime unam pro altera forma sumere coactum esse iam vidimus.

Deinde Futurum I et II interdum apud Terentium inter se coniuncta sunt particula ‚et' aut ‚atque', qua ex re intellegi potest his locis Futurum II idem tempus significare quod Futurum I. Atque hac in re Futurum II maxima ex parte in versus fine positum est, cum Futurum I in medio versu exstet.

Denique Futurum II aliquando sicuti Futurum I prae se fert vim hortativam; atque ubi hoc Futuri II genus occurrit, rursus forma eius plerumque in versus exitu posita est, quae res meo quidem iudicio satis docet hic agi de Futuro II pro Futuro I exhortativo metri causa adhibito. Conferas locos hos

And. 391—3 *nam hoc haud dubiumst, quin Chremes tibi non det (!) gnatam; nec tu ea causa minueris | haec quae facis*, quem locum ita nostra lingua vertendum esse puto: „Denn das ist nicht zweifelhaft, daß Chr. Dir seine Tochter nicht geben wird; aber nicht (haud - nec = non - $\left.\begin{matrix}\text{et}\\ \text{sed}\end{matrix}\right\}$ non) wirst Du deswegen Deine Anstrengung vermindern" (‚nec

minueris' in versus fine positum = ,nec minues'.). Quae cum ita esse credam, non probo id, quod P. Thomas in ,*La syntaxe du futur passé dans Térence*' (revue de l'instruction publique en Belgique 1878, p. 13) ad hunc versum adnotat: ,*Nous avons évidemment le subjonctif dans le sens de l'Impératif, avec une négation*', quam sententiam Blase sequitur (p. 198). — 892 *adducti, qui illam hinc civem dicant: viceris* („herangeholt sind die, welche jene als eine Bürgerin von hier ausgeben: Du wirst — sollst — Sieger sein!"), ubi ,viceris' pro ,vinces' propter versus exitum substitutum esse opinor contra Blaseum (p. 200 ,viceris' = Coni. Perf.).

Phor. 426 *tu te idem melius feceris* (,feceris' in versus fine collocatum = ,facies' = „Du wirst tun = tue!") — 430 *tuis dignum factis feceris* (itidem atque in v. 426).

Adel. 436/7 *illum curo unum, ille ad me attinet, quando ita volt frater; de istoc ipse viderit.* Hoc loco ,viderit' pro ,videbit' aut ,videto' propter versus finem exstare opinor. Sed ad hunc versum et ad And. 892 id quoque conferas, quod Thomas (l. c. p. 14) dicit: ,On peut hésiter entre le futur passé et le subjonctif parfait dans le sens de l'Impératif'.

Quod autem attinet ad Eun. 307, ubi Bembinus offert ostendes', Bentley ,ostenderis' emendavit, quam lectionem Dziatzko sequitur, probo maxime hoc loco lectionem, cuius auctor Thomas est: ,tu ostendes te' causa et metrica et syntactica commotus, ita ut cum hoc viro docto hunc versum legam: *nunc, Parmeno, tu ostendes te, qui vir sies.*

In omnibus exemplis adhuc pertractatis verbi formae, quas Futura II, non Perfecti coniunctivos esse ex ratione syntactica credo, mirae sunt, atque mea quidem opinione mirae etiam tum sunt, cum interpretando explanantur ita, quasi Perfecti coniunctivi sint. Itaque earum veram explicationem metricam esse maxime mihi persuasi, quam non respexerunt Lübbert (l. c.) et Cramer in dissertatione ,*De Perfecti coniunctivi usu potentiali apud priscos scriptores Latinos*' (Marburg 1886), qui magis rationem et psychologicam et syntacticam spectaverunt. Sed de horum virorum

doctorum sententiis in Perfecti coniunctivo tractando accuratius erit dicendum.

Nunc autem reliqua exempla omnia proferenda sunt, in quibus Futurum II pro Futuro I metri causa adhibitum occurrit; sunt autem haec:

And. 456 ego istaec recte ut fiant videro (in versus fine = ‚videbo'). — 570 principio amico filium restitueris (i. v. f. = ‚restitues'; cf. v. 571 tibi generum firmum et filiae invenies virum). — 640 nil promoveris (i. v. f. = ‚promovebis') — 641 molestus certe ei fuero (in caesura = ‚ero') atque animo morem gessero (i. v. f. = ‚geram'); cf. p. 66.

Heaut. 86 aut consolando aut consilio aut re iuvero (i. v. f. = ‚iuvabo') — 108 ego quod me in te sit facere dignum, invenero (i. v. f. = ‚inveniam'). — 174 huc concessero (i. v. f. = ‚concedam'). — 481 quantam fenestram ad nequitiem patefeceris (i. v. f. = ‚patefacies'). — 676 tantundem egero (i. v. f. = ‚agam').

Eun. 723 *hac re et te omni turba evolves et illi gratum feceris* (i. v. f. = ‚facies'). Quod autem Blase dicit (p. 181) in universum discrimen intercedere inter ‚fecero' (= „ich werde bewirken, vollbringen") et ‚faciam' (= ich werde handeln, vollziehen"), errare eum vel ex exemplis Terentianis effici potest.

Phor. 681 inde sumam; uxori tibi opus esse dixero (i. v. f. = ‚dicam').

Adel. 538 fuge modo intro, ego videro (i. v. f = ‚videbo'); atque item v. 845 et Hec. 701. — 843 *pugnaveris* (i. v. f. = ‚pugnabis'). Et hoc Futuro II attractum esse ‚adligaris' in versu 844 exstans sumo cum Kauero (cf. adn. ad. h. v.), quae forma est posita, quamquam ‚adligabis' metro non repugnaret hoc loco.

Hec. 401 et illi miserae indigne factam iniuriam contexeris (i. v. f. = ‚conteges'). — 599 et me hac suspicione exsolvam et illis morem gessero (i. v. f. = ‚geram').

In nonnullis horum exemplorum a Terentio Futurum exactum etiam ea de causa, ut hoc tempore quaedam gravitas celeritasque significaretur, usurpatum esse facile cognoscitur,

§ 2. Multo autem magis hoc pertinere mihi videtur ad hos locos:

And. 381/2 dictum ac factum invenerit | aliquam causam . . („ohne Verzug wird er einen Grund finden").

Heaut. 976 nec precatorem pararis.

Eun. 379 quo trudis? perculeris iam tu me.

Phor. 882 An.: Quin ergo rape me; quid cessas? Ge.: Fecero.

Sed commemorandum est etiam his locis omnibus — uno loco excepto: Heaut. 976; sed fortasse hic est legendum ‚parabis' — metrum ad Futurum II pro Futuro I adhibendum aliquid contulisse.

§ 3. Denique Futurum II mihi videtur positum ideo, quia spectat ad alteram rem futuram, quae e contextu facile intellegi potest, id quod quadrat ad haec exempla:

And. 398 aliam otiosus quaeret; interea aliquid acciderit boni. („Bevor er mit dem Suchen fertig sein wird, wird sich schon inzwischen etwas Günstiges ereignet haben.")

Adel. 232/3 si . . tum agam, ubi illinc rediero, nihil est; refrixerit res („Bevor ich zurückgekehrt sein werde, wird die Sache schon eingeschlafen sein").

Heaut. 487 *dare denegaris: ibit ad illud ilico* („Nachdem Du Dich geweigert, wird er . . gehn"). Hoc loco est respicienda parataxis pro hypotaxi adhibita; contra compares And. 379 *‚sed si negaris ducere, ibi culpam in te transferet'*.

§ 4. His autem exemplis allatis iam accessimus ad relativum Futuri II usum, qui invenitur multo saepius et apud alios scriptores Latinos et apud Terentium quam Futura exacta absolute usurpata, quae antea tractavimus.

a) Usus autem Futuri II relativus praecipue occurrit in enuntiatis condicionalibus.

a) Ac primum quidem eos locos intueamur, quibus Futurum II in protasi exstat. Sunt autem hi:

And. 164 quem quidem ego si sensero . . . (ἀποσιώπησις!) — 196/9 si sensero . ., dedam. — 213 si senserit,

perii (= peribo; cf. p. 45) — 565 qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris (‚feceris' in versus exitu positum = ‚facies' aut ‚facis'; cf. p. 15/6). — 673/4 si advigilaveris, . . mihi conficies nuptias. — 773/4 Chremes si puerum . . viderit, suam gnatam non dabit (cf. p. 18). — 960/1 nam mi immortalitas partast (cf. p. 46), si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.

Heaut. 355/6 hic si quid . . adversi evenerit, tibi erunt parata verba. — 437/8 quia pessume in te . . consul*is* |, si te tam leni . . animo ostender*is* | (‚ostenderis' pro ‚ostendes' propter versus finem substitum est.). — 550/1 facito . . memineris, . . si quid . . evenerit. — 618 si iam laverit, mihi nuntia! (‚nuntia' est collocatum in versus exitu pro ‚nuntiato'). — 698 si abduxeris, celabitur. — 718 quid tum quaeso, si hoc pater resciverit? — 725 quod si . . deceperit, saepe frustra veniet.

Eun. 299/300 si occeperit, . . dicet. — 800 si quicquam hodie . . coeperis, faciam. — 888 emoriar, si non hanc uxorem duxero. — 1064/5 si te offendero, . . periisti (cf. And. 213 et p. 45). — 1067 *quod quom dixero, si placuerit,* | *facitote!* Quamquam persuasum habeo primariam causam Futuri II ‚placuerit' in versus fine positi esse metricam, plane tamen comprobo hoc tempus etiam syntactice explicari posse. Quin etiam, quod attinet ad syntacticam rationem, hoc exemplum satis dignum mihi videtur, quod accuratius inspiciatur. Hoc enim loco agitur de tribus actionibus ad tempus futurum pertinentibus, ita ut prima sit actio *dicendi* (‚quom dixero'), secunda *placendi* (‚si placuerit'), tertia *faciendi* (‚facitote'). Itaque si ‚facitote' revocamus ad ‚placuerit', recte est adhibitum hoc Futurum II, quoniam actio placendi praecedit actioni faciendi. Sed si refertur illa actio ad actionem dicendi, cognoscitur Futurum II non satis idoneum esse hoc loco ad actionem dicendi subtilissime exprimendam, quippe quae actioni placendi praecedat. Quam ob rem si hoc loco singulas actiones temporibus inter se distinguere vellemus, desiderio Futuri III Latini teneremur (‚facitote' pro Futuro I, ‚placuerit' = rectum Futurum II, ‚dixero' pro Futuro III).

Phor. 28/9 res geretur maxume, voluntas vestra si ad poëtam accesserit. — 205 nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur. — 220 *ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.* Hoc loco quamquam ‚fefellerit' Futurum II ad Futurum I ‚plectar' relatum non iniuria est positum, tamen si specto Heaut. 668 *nisi me animus fallit* (in medio versu!), *haud multum a me aberit (!) infortunium* et Heaut. 614 *‚nisi me animus fallit* (in medio versu!), *hic profectost anulus, quem ego suspicor* . .' a poëta Futurum II pro Praesenti versus finis causa substitutum esse putarim (cf. nostrum: „wenn mich nicht alles täuscht"). — 248/9 erus si redierit, molendum usque in pistrino (respice ellipsin verbi formae ‚est' aut ‚erit' in apodosi, quam ad rem conferas Leky *‚De syntaxi Apuleiana'*. Münster 1908, p. 7/8). — 438/9 si illam attigeris . ., dicam tibi impingam. — 514 si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies! (‚ne oppertus sies' est positum pro ‚ne opperiaris' propter versus exitum; respice praecipue Perfecti Participium ‚oppertus'! cf. p. 55) — 532/3 si mihi prior tu attuleris, Phaedria, mea lege utar. — 579/80 si quoi tulero extrario, . . . dicendum ordinest. — 584 sin spreverit me, . . sciet. — 637/8 si . . dixeris, . . commutabitis. — 699/700 iam si argentum acceperit, ducendast uxor. — 911 nam qui erit rumor populi . ., si id feceris.

Adel. 362/3 si me senserit . ., numquam dicet. — 981 siquidem . . dederis, . . reddet.

Hec. 567 nam ut hic laturus hoc siet, si ipsam rem resciverit, non edepol clam me est.

b) Duobus locis Futurum II invenitur in apodosi; dico

Adel. 127 *‚ah, si pergis, abiero'*, ubi ‚abiero' pro ‚abeo' aut ‚abibo' versus finis et festinationis significandae causa (cf. adn. Kaueri ad h. v.) est adhibitum. — 817/9 *‚haec si voles* (in versus fine! cf. p. 35), . . *illis dempseris molestiam'*, ubi ‚dempseris' paenultimo versus loco substitutum est pro ‚demes' metrica ex ratione.

Hos locos omnes si hic collegi, quamquam, ut saepius memoravi, Liebig quaestionem habuit de enuntiatis condicionalibus apud Terentium exstantibus, id cum aliis de causis tum ea de causa feci, quod Liebigi opusculum supplere volui, qui vir doctus in interpretando rationem metricam, ut iam p. 5 et 19 dixi, non respexit, sine cuius ope fieri non posse vidimus, ut nonnulli loci recte explicentur.

b) Sed progrediamur ad enuntiata temporalia, in quibus Futurum II adhibitum est.

a) Ac primum quidem Futura II coniunctionem ‚ubi' („sobald") sequentia contemplemur, quae occurrunt his locis:

Hec. 813 aderit continuo, hoc ubi ex te audierit (cf. Brock l. c. p. 156). — 791 at easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint.

Adel. 203 ubi me dixero dare tanti, testes faciet. — 226 ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages; cf. p. 28. — 378 ubi ego rediero, exossabitur cf. p. 28. — 574/5 ubi eo veneris, clivos *deorsum vorsum* est. — 581—83 ubi eas praeteri*eris* | , ad sinistram . . , ubi ad Dianae ven*eris* | , ito ad dextram (respice hoc loco figuram comparis).

Phor. 47 ferietur, ubi era pepererit.

Eun. 55 eludet, ubi te victum senserit. — 596 ubi nos laverimus, si voles, lavato.

Coniunctionis ‚ubi' loco semel exstat apud Terentium particula ‚quando' („wann einmal") cum Futuro exacto coniuncta:

Adel. 206/7 quando eum quaestum inceperis, accipiunda . . iniuria adulescentiumst.

Saepius invenitur apud poëtam etiam vox ‚quom' notione „sobald als" Futuro II adiecta; conferas

Heaut. 484 quod . . quomque inciderit in mentem, volet. 557/8 quom usus venerit, videbimus. — 726—28 aut quom venturam dixero et constituero, quod is certe renuntiarit, . . decipiam.

Eun. 1067 quod quom dixero . . , facitote (cf. p. 62)!

Phor. 185 quod quom audierit, quod eius remedium inveniam iracundiae?
Hec. 300 quod quom ita esse invenero, quid restat ..?
— 474/5 erit fides, quom illa .. aequa de me dixerit.

Omnibus his locis, quorum in multo maiore numero Futurum II in versus fine aut caesura positum est, hoc tempus iure abdhibitum esse apparet.

b) Tum nonnulla exempla commemoranda sunt, in quibus Futurum II recte est coniunctum cum particula ‚donec' („bis"); sunt autem haec:

Phor. 420 immo haud desinam, donec perfecero hoc |.
— 589/90 neque defetiscar .., donec .. effecero |.
Adel. 718 certum obsidere est usque, donec redierit |; cf. p. 17.

c) Praeterea Futurum II sequens duobus locis coniunctionem ‚priusquam' („bevor") videmus:

Heaut. 584 hic prius se indicarit quam ego argentum effecero (‚effecero' hic est substitutum pro ‚efficiam' versus finis gratia).

Phor. 1044/5 neque .. ignosco .. neque promitto .. neque respondeo, priusquam gnatum videro (cf. p. 16 et 17).

c) Denique complura enuntiata relativa afferenda sunt, in quibus Futurum II invenitur

And. 10 qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Heaut. 873 nam te scientem faciam, quidquid egero.
Eun. 68/9 lacrimula, quam .. *vix vi* expresserit, restinguet. — 174 faciam, ut iusseris.
Phor. 461 is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Adel. 164 neque tu *verbis* solves umquam, quod mihi *re* male feceris.

His omnibus locis Futurum II in versus fine aut ante caesuram collocatum iure usurpatum esse facile cognoscitur, scilicet ut actionem futurae antecedentem exprimat.

§ 5. Relinquitur nunc, ut disputem de verbi forma ‚fuero' pro ‚ero' a Terentio adhibita. De hoc usu Blase dicit (p. 188) Terentium voces ‚fuero' et ‚ero' ita usurpare, ut significationes earum non distinguat. Sed ita res est etiam in multis formis ‚fueram' pro ‚eram' positis, quas Blaseum miro modo explicare iam demonstratum est (p. 54). Neque vero mirum est hunc virum doctum illum usum formarum ‚fuero', ‚fueris' etc. enucleare non conatum esse (cf. p. 55). Mihi quidem constat Terentium tantummodo eis locis formas ‚fuero' etc. sumpsisse, quibus aptiores erant metro quam formae ‚ero' etc.; accedit, quod has semel et tricies, illas quinquies adhibuit. Itaque vel ex his numeris imparibus conicere possumus formas ‚fuero', ‚fueris' etc. poëtae - ut ita dicam - malum necessarium fuisse. Sed praecipue est cogitandum has formas maximam partem occurrere apud poëtam cum Perfecti Participiis coniunctas, qua in re meminerimus ea, quae dicta sunt p. 55 (cf. etiam Brugmann l. c. p. 142). Sed ad haec omnia cognoscenda inspiciamus singula exempla:

Adel. 603 et tuo *officio* fueris *functus.*

Phor. 440 si quid opus fuerit (ante diaeresin!), heus domo me (sc. arcessito). — 516 *idem hic tibi, quod boni promeritus fueris, conduplicaverit.* In hoc exemplo ‚eris' et ‚conduplicabit' in versus exitu substituta metro obsisterent. Praeterea autem hoc loco fortasse attractio quoque aliquid momenti habuit, quae res quadrat meo quidem iudicio etiam in

And. 641 molestus certe ei fuero atque animo morem gessero (cf. p. 60) et 213 si *lubitum* fuerit, causam ceperit.

Hoc loco ‚*lubitum*' in sententiam nostri „Belieben" accipere possumus aeque atque in Eun. 1056 *si quid conlubitumst, novi te* (= „Wenn Du nur irgend welche Lust (‚conlubitum') hast . . "). Tum quod attinet ad ‚opus fuerit' in Phor. 440 exstans, ratione syntactica probari potest, si germanice interpretamur: „Wenn es sich herausgestellt haben wird, daß etwas nötig ist, dann hole mich aus dem Hause!"

Ceterum censeo Futurum II, quod primitus tempus relativum sicuti Plusquamperfectum fuisse persusum habeo, denique absolute adhibitum esse eo modo, ut significaret rem certe futuro tempore ad exitum perductum iri; cf. And. 641 *molestus certe ei fuero,* Phor. 516 *conduplicaverit:* „bestimmt zahlt er Dirs doppelt zurück“ (cf. Hauleri adn. ad h. v.), And. 213 *causam ceperit:* „dann wird er sicher zu einem Vorwande greifen“ (compares verbi formam in altero colo respondentem *‚perii‘:* „dann ist's entschieden mit mir aus“ in And. 213 *si senserit, perii: si lubitum fuerit, causam ceperit,* quo loco etiam figura comparis respicienda est). Quod non est mirum, si rem psychologice spectamus. Nam mea quidem sententia cum cogitatione rei futuro tempore perfectae notio certi tempore futuro eventus rei facile sensim se coniungere poterat. Haec autem ipsa erat causa, opinor, cur Futurum II tempus primitus relativum denique etiam ut tempus absolutum adhiberetur.

Vita.

Natus sum Maximilianus Schlossarek die XXV. mensis Septembris anni 1884 Hultschinii, in oppido Silesiae superioris, patre Edmundo, matre Antonia e gente Kasalik, quos ambos adhuc in vivis esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Postquam per septem annos scholam oppidi patrii publicam frequentavi, vere anni 1897 in quintam classem gymnasii Ratiboriensis receptus sum. Quod vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus reliqui, ut in universitate Vratislaviensi studiis philologicis, philosophicis, historicis me darem. Ac philosophorum ordini adscriptum per septem semestria me docuerunt viri doctissimi:

Baumgartner, Bohn, Cichorius, Dahn, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal †, v. Hase, Hönigswald, O. Hoffmann, Kampers, Kaufmann, Kühnemann, Muther, Nickel, Norden, Rohr, Seltmann, Skutsch, Sombart, Siebs, Stern, Wendland, v. Wenckstern, Wobbermin, Wolff, Zacher †, Ziegler.

Proseminarii philologici sodalis fui per duo semestria et quarto semestri ascitus sum inter sodales ordinarios seminarii philologici, cuius in exercitationibus duo semestria moderantibus Foerstero, Skutschio, Wendlandio versatus sum. Praeterea ad exercitationes historicas me admiserunt Cichorius, Kampers, Kaufmann, ad philosophicas Baumgartner et Kühnemann, ad psychologicas Stern.

Quibus omnibus gratias habeo et ago, maximas autem Skutschio, cuius et impulsu et opera hanc dissertationem scripsi.

Errata:

p. 5	lin. 9	legas	). pro), .
„ 5	„ 16	„	ipsum, .
„ 15	„ 2	„	laudanda pro laudauda.
„ 18	„ 4	„	partem pro parten.
„ 20	„ 1	„	internaz. .
„ 26	„ 9	„	ero'; .
„ 27	„ 1	„	prim umst pro primunst.
„ 32	„ 32	„	genus, .
„ 33	„ 36	„	exstat pro extat.
„ 36	„ 34	„	alienum pro alieneum.
„ 43	„ 29/30	„	posuisse videmus; .